MEMORIALE RITUUM


CARITAS PATER: GRATIA FILIUS: COMMUNICATIO: SPIRITUS SANCTUS O BEATA TRINITAS

MEMORIALE RITUUM

PRO ALIQUIBUS PRÆSTANTIORIBUS SACRIS FUNCTIONIBUS PERSOLVENDIS IN MINORIBUS ECCLESIIS BENEDICTI XIII PONT. MAX. JUSSU EDITUM BENEDICTI PAPÆ XV AUCTORITATE RECOGNITUM

EDITIO I POST TYPICAM



ROMÆ

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCML

APPROBATIO

primae a typica editionis Memorialis Rituum

Revisione rite peracta, concordat cum originalibus approbatis.

Ex Secretaria Sacrae Rituum Congregationis.

Die 2 Augusti 1949.

SACRA RITUUM CONGREGATIO

✠ Alfonsus Carinci,
Archiep. Seleucien., S.R.C. a Secretis

DECRETUM


Memoriale Rituum, quod pro aliquibus præstantioribus sacris functionibus in Ecclesiis minoribus a Summo Pontifice Benedicto XIII probatum ejusque jussu editum fuit ac pluries reproductum, nunc juxta leges liturgicas etiam recentiores diligenti studio revisum atque opportune reformatum, Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, suprema Sua auctoritate recognovit, atque hanc Memorialis Rituum editionem tamquam typicam habendam esse sancivit: simulque statuit ac declaravit, ut eidem editioni omnes ceteræ in posterum conformari atque authentico testimonio comprobari debeant; servatis normis, quæ pro editione librorum liturgicorum traditæ sunt typographis per decretum ejusdem Sacræ Congregationis n. 4266, die 17 Maji anno 1911. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 Januarii 1920.

† A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinæ
S. R. C. Præfectus

L. ✠ S.

Alexander Verde, S. R. C. Secretarius



REVERENDIS MINORUM ECCLESIARUM RECTORIBUS

“Ut Ritus ac sacræ Cæremoniæ, visibilia religionis ac pietatis signa, per quæ mentes fidelium ad rerum altissimarum contemplationem excitantur, in minoribus Ecclesiis parochialibus almæ hujus Urbis exacte ac uniformiter exerceantur; utque hujusmodi Ecclesiarum Rectores ab exsolvendis functionibus illis præcipuis, quibus alma Mater Ecclesia præstantiora nostræ Redemptionis indixit recolenda mysteria, minime vel perstrictus parochialium Clericorum numerus detineat, vel insuetorum Rituum anfractus deterreat: ex Decreto particularis Congregationis, a Ssmo Dño nostro Benedicto Pp. XIII indictæ, sub die 4 Decembris proxime elapsi anni 1724, pro nonnullis ad sacram Visitationem Ecclesiarum parochialium Urbis spectantibus, et a Sanctitate Sua confirmato, Rectoribus ipsis Memoriale hoc Rituum, typis datum, proponitur observandum.

« Exactissimam præscriptorum Rituum, cum perstrictissimo Clericorum numero, exhibet praxim. Ut plurimum tres tantum requirit, vix quartum desiderat. Parocho tamen curæ erit, designatos Clericos, quasi manuducens, præcedenter in actionibus peragendis in-

struere, ut in eisdem attente et expedite se gerant, neque oscitanter, quo se vertant, nesciant. Eosdem insuper Clericos modulari, æqua vocum concordia, ea, quæ in Processionibus recitanda præcipiuntur, edoceat: quæque, ut inoffenso percurrantur pede, suis locis, in ipso hoc Memoriali, per extensum inserere, consonum visum est; ut unus idemque libellus, et quæ agenda et quæ recitanda, suppeditet.

« Sex, semel in anno occurrentes, functiones enucleate exponuntur: ex quibus haud difficile erit, methodum excerpere pro consimilibus; ut in omnibus custodia sacrarum Cæremoniarum semper effulgeat ». [1]

Proposito in sacræ Rituum Congregationis ordinario Conventu habito die 28 Julii 1821 sequenti dubio, videlicet: « An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam Parœciis, præsertim in ruralibus, celebrandi per Parochum Missam lectam Feria V in Cœna Domini, quin peragi valeant eadem feria et sequenti ceteræ ecclesiasticæ functiones præscriptæ, ob Clericorum defectum? » eadem S. Congregatio respondendum censuit: « Affirmative et ad mentem. Mens est: ut locorum Ordinarii, quoad Parœcias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem Clerici, sacras functiones Feria V et VI ac Sabbato Majoris Hebdomadæ peragi studeant, servata forma parvi Ritualis s. m. Benedicti XIII anno 1725 jussu editi: et quoad alias Parœcias, quæ Clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi (petita quotannis venia) Feria V in Cœna Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in Cathedrali, vel Matrice, Conventualis incipiat. Et ad Dñum Secretarium cum Sanctissimo ». [2]

---

[1] Monitum primæ editioni, Romæ anno 1725 vulgatæ, præfixum.

[2] Pius autem VII P. M. responsum S. C. approbavit et confirmavit, die 31 Iulii, eodem anno (Decr. auth., n. 2616, ad I).

Hoc ultimo in casu, potest S. Pyxis in suo Altari servari usque ad solis occasum, ut fideles, loco Sepulcri, ad Ssmam Eucharistiam adorandam accedere valeant.[3]

Insuper eadem S. R. Congregatio[4] declaravit, Ecclesias parochiales omnino adigi ad functiones Sabbati sancti juxta parvum Cæremoniale Benedicti Pp. XIII.

Quod tamen minores attinet Ecclesias non parochiales, Episcopus permittere potest functiones omnes Hebdomadæ sanctæ in omnibus Ecclesiis, in quibus Ssmum Sacramentum asservatur; dummodo tamen horis diversis fiant, ne per illas fidelium concursus ad Ecclesiam parochialem impediatur;[5] et dummodo eædem functiones fieri possint juxta præscriptum Missalis Romani.[6]

Notetur, in hoc Memoriali, primum saltem Clericum considerari ad minimum tonsuratum, secus enim nequiret, ut describitur, Calicem tangere,[7] et Corporale explicare. Licet autem Clerico non tonsurato ad Missale Celebrantem assistere, et folia vertere.[8] Tonsuratus, et in minoribus constitutus, abstinebit a Calice abstergendo, vino et aqua ante Offertorium infundendis, Patena et Calice tradendis, Palla removenda et reponenda, et Calice tangendo, infra Actionem; poterit autem post Communionem Calicem a Celebrante abstersum

---

[3] S. R. C., die 1 Februarii 1895, n. 3842, ad III.

[4] Die 22 Iulii 1848 (n. 2970, ad V).

[5] S. R. C., die 9 Maji 1884, n. 3608, ad I.

[6] S. R. C., die 4 Septembris 1875, n. 3366, et die 16 Martii 1876, n. 3390, pro usu Memorialis Benedicti Pp. XIII, justa et rationabili accedente causa, ad S. Rituum Congregationem recurrendum est. S. R. C., die 9 Decembris 1899 n. 4049, ad I — Cfr. n. 3390: Ad postulatum.

[7] Codex I. C., can. 1306, § 1; S. R. C., 10 Martii 1906, n. 4181, ad IV.

[8] S. R. C., ibid. VII.

suis ornamentis instruere, ac velo e bursa coopertum ad abacum referre.[9]

Ubi pro benedictione Candelarum, Cinerum, Palmarum, Ignis novi, Granorum incensi et Fontis baptismalis pluviale violaceum non habetur, satis est, ut Celebrans sit indutus amictu supra superpelliceum (si commode fieri possit), alba, cingulo et stola.

Si adsit Cantorum sufficiens numerus (saltem duo), qui rite suum munus exercere queant, cantus in his functionibus adhiberi potest;[10] in casu autem, nisi Clericus inserviens Epistolam cantet, satius erit, si Epistola legatur ab ipso Celebrante,[11] et Celebrans sedere poterit ad Kýrie, Glória et Credo.


Si Cantores presbyterium ingrediantur, vel Processioni participent, vel loco patenti canant, superpelliceo cum veste talari induantur oportet.

---

[9] S. R. C., ibid. VI. Hæc, quæ tradit Decretum citatum de Missis cum cantu, applicantur etiam Missis lectis, de quibus agit Memoriale, quæ, ad instar conventualium, earum locum tenent.

[10] S. R. C., n. 3605. Responsum S. R. C., n. 3505, ad VI, referatur ad locum et non ad cantum; cfr. Decr. n. 4031, ad II.

[11] S. R. C., die 23 Aprilis 1875, n. 3350.



TITULUS I

DE BENEDICTIONE CANDELARUM IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIÆ V.

CAPUT I

DE PRÆPARANDIS PRO BENEDICTIONE, PROCESSIONE ET MISSA

In Altari majori

Pallium violaceum faciliter amovibile, et forte, ad expeditiorem usum, aptatum super aliud albi coloris, si Missa erit de beata Maria Virg.

2 Missale in cornu Epistolæ apertum super pulvino violaceo, vel parvo legili.

Prope cornu Epistolæ in plano

1 Mensa cooperta mantili albo, et super eam Candelæ benedicendæ, similiter aliqua mappa munda coopertæ.

2 Crux processionalis.

3 Scabellum pro Celebrante.

4 Loco recondito, vasa florum postea adhibenda, si iis uti consueverit.

In abaco, seu credentia

1 Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris albi, coopertus alio velo coloris violacei: ni festum incidat in Dominica privilegiata, quia tunc coloris violacei.

2 Planeta, stola, et manipulus coloris albi, vel planeta et manipulus violacei, si in Dominica, ut supra.

3 Pulvinus albi coloris pro Missali, si adhibendus sit in Missa de beata Maria Virg.

4 Vas Aquæ benedictæ cum aspersorio, si non erit dies Dominica.

5 Pelvis cum medulla panis, et vasa pro lotione manuum post distributionem Candelarum.

6 Manutergium in lance.

7 Pelvicula cum ampullis vini et aquæ, et mappula ad manus tergendas.

8 Exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in Processione.

9 Liber ritualis pro aspersione Aquæ benedictæ, si fuerit Dominica.

10 Tintinnabulum.

In sacristia

1 Tria superpellicea pro Clericis.

2 Superpelliceum, amictus, alba, cingulum, stola et pluviale coloris violacei pro Celebrante.

3 Thuribulum et navicula cum thure.

4 Foculus cum igne et forcipe.

5 Vasa aquæ benedicendæ et salis, cum aspersorio, si fuerit Dominica.

6 Missale vel Rituale, si item fuerit Dominica.

CAPUT II

DE SACRIS RITIBUS IN FESTO PURIFICATIONIS B.M.V. ABSOLVENDIS

§ I - De Candelarum benedictione

Hora congruenti, três Clerici, talari habitu induti, accipiunt superpellicea in sacristia, atque disponunt omnia, ut in capite præcedenti.

2 Festivo campanarum sonitu convocetur populus.

3 Celebrans, lotis manibus in sacristia, ministrantibus secundo et tertio Clerico, accipit supra superpelliceum (si commode fieri possit) amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale coloris violacei.

¶ Si fuerit dies Dominica, Celebrans, antequam pluviale accipiat, benedicit aquam pro aspersione, ut in Missali vel Rituali.

4 Interim primus Clericus candelas in Altari accendit.

5 Celebrans, facta cum Clericis debita reverentia Cruci, vel sacræ alii imagini in sacristia, præcedente primo Clerico manibus junctis (cum vase Aquæ benedictæ, si fuerit Dominica), medius inter secundum et tertium Clericum, tecto capite, procedet ad Altare.

6 Ante infimum gradum deponit biretum in manibus Clerici assistentis, dum primus Candelas discooperit.

7 Celebrans, facta reverentia Cruci, vel genuflexione in plano, si adsit tabernaculum recondens Ssñam Eucharistiam, ascendit ad Altare, et osculatur illud in medio.

¶ Si facienda sit, ratione Dominicæ, aspersio Aquæ benedictæ, Celebrans genuflexus in primo gradu infe-

riori procedit ad aspersionem, ut in Rituali, et deinde ascendit ad Altare, ut supra.

8 Celebrans, osculatus Altare, accedit ad cornu Epistolæ semper medius inter Clericos, ut supra n. 5.

9 Ibidem facie versa ad Altare, manibus junctis, in tono feriali, dicit Dóminus vobíscum, et postea subjungit Orémus, et Orationem Dómine sancte etc. cum quatuor aliis Orationibus.

10 Interim primus Clericus in sacristia ponit ignem in thuribulo, et affert illud cum navicula ad Altare.

11 Dum dicitur quinta Oratio, tertius Clericus, qui erat a sinistris Celebrantis, recedit et, accepto e credentia vase Aquæ benedictæ, una cum Clerico thuriferario accedit ad Celebrantem.

12 Celebrans, completa quinta Oratione, ministrante cum osculis consuetis naviculam secundo Clerico, qui est a dexteris ejus, imponit cum benedictione incensum in thuribulo.

13 Deinde, accepto aspersorio a secundo Clerico, ter aspergit Candelas, in medio, a dextris earum et a sinistris, dicens submissa voce Ant. Aspérges me etc. sine Psalmo.

14 Successive similiter triplici ductu Candelas adolet incenso, nihil dicens.

15 Completa benedictione, laudabiliter Celebrans, facta in medio Altaris debita reverentia, sedebit tecto capite super scabello in suppedaneo a parte Evangelii, et congruenti sermone populum admonebit de institutione hujus sollemnitatis, atque mysteriis et utilitate Candelarum benedictarum, utque populus reverenter accedat ad distributionem.

§ II - De Candelarum distributione

1 Expleto sermone, primus Clericus accipit e mensa Candelam pro Celebrante, et (nisi adsit aliquis in pre-

sbyterali ordine constitutus) eam collocat in medio Altaris.

2 Celebrans in medium se confert et, facie ad Crucem conversa, accipit ex Altari Candelam et eam osculatur, et tradit primo Clerico servandam.

¶ Si adsit aliquis Sacerdos, hic dabit Candelam Celebranti, stanti facie ad populum versa, cum osculo Candelæ tantum, et Celebrans similiter Candelam tantum osculabitur.

3 Deinde Celebrans (nisi adsint qui cantent; si enim adsunt, ad distributionem immediate procedit) accedit ad cornu Epistolæ, et alternatim cum suis Clericis, alta et æqua voce, recitabit Ant. Lumen etc. et Canticum Nunc dimíttis etc. ut sequitur:

Antiphona Luc. 2, 32

Lumen ad revelatiónem géntium: et glóriam plebis tuæ Israël.

Cantic. ibid. v. 29-31 Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace.

Deinde repetitur tota Ant. Lumen ad revelatiónem géntium: et glóriam plebis tuæ Israël, quæ similiter repetitur post quemlibet versum.

Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

Ant. Lumen ad revelatiónem géntium: et glóriam plebis tuæ Israël.

Quod parásti ante fáciem ómnium populórum.

Ant. Lumen ad revelatiónem géntium: et glóriam plebis tuæ Israël.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

Ant. Lumen ad revelatiónem géntium: et glóriam plebis tuæ Israël.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sǽcula sæculórum. Amen.

Ant. Lumen ad revelatiónem géntium: et glóriam plebis tuæ Israël.

4 Repetita, post Sicut erat in principio etc., Ant. Lumen etc., Celebrans vertit se ad populum, et, præbente ei Candelas tertio Clerico a sinistris, allatas a primo Clerico, distribuit easdem primo Presbyteris, si adsint, deinde Clericis, dispositis seriatim super ora suppedanei, et dignioribus prope cornu Epistolæ: qui omnes (etiam Sacerdos, qui Candelam Celebranti dederit) genuflexi Candelam et manum Celebrantis osculabuntur.

¶ Si Cantores habeantur, cum Celebrans inceperit distribuere Candelas, cantant Antiphonas cum Cantico, et subsequentem Antiphonam cum Psalmo.

5 Deinde Celebrans, facta reverentia Altari, medius inter suos Clericos accedit ad cancellos presbyterii a parte Epistolæ.

6 Ibidem incipit distribuere Candelas, primo viris, deinde feminis, ut supra n. 4.

7 Completa distributione, Celebrans lavabit manus in plano Epistolæ, fundente aquam primo Clerico, et aliis duobus manutergium ministrantibus.

8 Celebrans, lotis manibus, pergit per latus Altaris ad librum in cornu Epistolæ.

9 Ibi, cum suis Clericis (si Cantores desint) alta voce recitabit Ant. Exsúrge, Dómine etc.

Antiphona Ps. 43, 26

Exsúrge, Dómine, ádjuva nos: et líbera nos propter nomen tuum.

Ps. ibid. v. 2 Deus, áuribus nostris audívimus: patres nostri annuntiavérunt nobis.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sǽcula sæculórum. Amen.

Et repetitur Ant. Exsúrge, Dómine, ádjuva nos: et líbera nos propter nomen tuum.

10 Deinde stans ibidem subdit Orémus, et si sit post Septuagesimam, et non in die Dominica, subjungit, ipsemet genuflectens cum omnibus, Flectámus génua, et secundus Clericus, primo surgens, respondet Leváte.

11 Postmodum Celebrans dicet Orationem Exáudi, quǽsumus, Dómine etc., semper tenens manus junctas, ut supra.

§ III - De Processione

1 Completa Oratione, Celebrans ibidem accipit a primo Clerico Candelam accensam, et (si desint Cantores) exemplar hujus Memorialis, vel Rituale, pro Antiphonis in Processione recitandis.

2 Duo alii Clerici similiter accipiunt Candelas accensas, et exemplaria hujus Memorialis.

3 Celebrans vertit se ad populum, et dicit Procedámus in pace, et Clerici (vel Chorus) respondent In nómine Christi. Amen.

4 Celebrans (in defectu Cantorum) incipit recitare Ant. Adórna etc., ut infra, et alternatim cum Clericis sibi assistentibus reliquas Antiphonas prosequetur.

5 Responso, ut supra, In nómine Christi. Amen, primus Clericus accipit Crucem processionalem, vertit se ad populum (ipse numquam genuflectit), et procedit, juxta consuetudinem, vel extra Ecclesiam vel intus eamdem, et dirigit Processionem recta via usque ad januam in primo casu, a sua parte dextera in secundo, et circuit, et redit ante Altare.

6 Celebrans, cum in planum descenderit, vertit se ad Altare, et debitam ipsi facit reverentiam; tum sequitur Crucem (vel Cantores, si adsint), tecto capite, medius inter Clericos, recitans (si opus fuerit) cum eis sequentes Antiphonas, redactas ad Versus, ut commodius recitentur.

¶ Si aderint Cantores, horum erit canere has Antiphonas ab initio Processionis, et Versus Responsorii in reditu.

Antiphona

Adórna thálamum tuum, Sion: et súscipe Regem Christum.

Ampléctere Maríam: quæ est cæléstis porta.

Ipsa enim portat Regem glóriæ novi lúminis.

Subsístit Virgo, addúcens mánibus Fílium ante lucíferum génitum.

Quem accípiens Símeon in ulnas suas, prædicávit pópulis, Dóminum eum esse vitæ et mortis, et Salvatórem mundi.

Alia Antiphona Luc. 2, 26, 27 et 28-29

Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini.

Et cum indúcerent Púerum in templum, accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum, et dixit:

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, in pace.

℣. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo, ipse accépit eum in ulnas suas.

7 Ingrediendo Ecclesiam, si extra eam processum fuit, vel in ipso cancellorum presbyterii ingressu, si Processio intus Ecclesiam peracta fuit, recitatur sequens

Responsorium Luc. 2, 24 et 22-23

Obtulérunt pro eo Dómino par túrturum, aut duos pullos columbárum.

Sicut scriptum est in lege Dómini.

℣. Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ, secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino.

Sicut scriptum est in lege Dómini.

℣ Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

Sicut scriptum est in lege Dómini.

8 Clericus Crucem deponit in loco suo.

9 Absolvitur Responsorium ante Altare majus.

§ IV - De Missa post Processionem

1 Absoluto Responsorio, primus Clericus resumit Candelas a Celebrante et Clericis, exstinguit et servat in credentia.

2 Celebrans, facta reverentia Altari, accedit ad planum Epistolæ, prope abacum, et per manus secundi et tertii Clerici deponit pluviale et stolam violaceam, et accipit manipulum, stolam et planetam coloris albi, si Missa erit de beata Maria Virg., ac sedebit coopertus; alias, deposito pluviali, accipit manipulum et planetam violaceam pro Missa de Dominica.

3 Interim, si Missa erit celebranda de Festo, primus Clericus amovet pallium violaceum ab Altari, remanente albo; mutat pulvinum sub Missali, et apponit, si consuetum fuerit, vasa florum inter candelabra. Defert, quæcumque erit Missa celebranda, Calicem congrue paratum ad Altare, et expanso Corporali, eumdem in medio concinne collocat.

4 Celebrans procedit ad Missam, in qua, si erit de Festo, Clerici tenebunt Candelas accensas ad Evangelium, et ab elevatione usque ad sumptionem.

5 Dum celebrans legit Ant. Communio, primus Clericus amovet Calicem ab Altari, et refert ad credentiam.

6 Completa Missa, Celebrans, præcedentibus Clericis, redit, manibus junctis, in sacristiam.

7 Ibi deponit paramenta sacra, et gratias agit de more.

8 Clerici, exstinctis candelis, ex Altari et abaco reportant omnia in sacristiam, et suis quæque locis reponunt.



TITULUS II
DE BENEDICTIONE CINERUM IN CAPITE JEJUNII

CAPUT I
DE PRÆPARANDIS PRO BENEDICTIONE ET MISSA

In Altari majori

Altare cum pallio violaceo, Cruce et candelabris cum cereis, absque vasis florum.

2 Missale in cornu Epistolæ, apertum super pulvino violaceo, aut legili.

3 Vas argenteum, vel ex alia pulchra materia, cum Cineribus ex ramis in præcedenti Dominica Palmarum benedictis, combustis et subtiliter cribratis et aridis, coopertum vel operculo consimili vel velo violaceo, inter Missale et cornu Epistolæ.

In abaco, seu credentia

1 Calix paratus pro Missa, cum velo et bursa coloris violacei.

2 Manipulus et planeta violacea.

3 Vas Aquæ benedictæ cum aspersorio.

4 Pelvis cum medulla panis, et vasa ad lavandas manus post Cinerum distributionem.

5 Manutergium in lance.

6 Pelvicula cum ampullis vini et aquæ, et mappula ad manus tergendas.

7 Tintinnabulum.

Prope cornu Epistolæ in plano

Scabellum pro Celebrante.

In Sacristia

1 Tria superpellicea pro Clericis.

2 Superpelliceum, amictus, alba, cingulum, stola et pluviale coloris violacei pro Celebrante.

3 Thuribulum et navicula cum thure.

4 Foculus cum carbonibus accensis et forcipe.

CAPUT II
DE SACRIS RITIBUS FERIA IV CINERUM PERSOLVENDIS

§ I - De Cinerum benedictione

Dispositis omnibus, ut supra, per Clericos indutos superpelliceis, hora congrua, solito campanarum signo, convocetur populus ad Ecclesiam.

2 Celebrans in sacristia, lotis manibus, per manus secundi et tertii Clerici accipit supra superpelliceum (si commode fieri possit) amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale coloris violacei.

3 Primus Clericus accendit candelas super Altare.

4 Proceditur, facta reverentia Cruci in sacristia, vel sacræ imagini, ad Altare majus.

5 Præcedit primus Clericus manibus junctis, et subsequitur Celebrans tecto capite, medius inter secundum et tertium Clericum.

6 Celebrans ante Altare deponit biretum in manus Clerici assistentis, et facit debitam reverentiam Altari.

7 Ascendit Altare, medius inter secundum et tertium Clericum, et osculatur illud in medio.

8 Interim primus Clericus discooperit Cineres.

9 Celebrans accedit ad cornu Epistolæ, et ex Missali recitat cum suis Clericis Ant. Exáudi etc. cum Psalmo (quæ, si cantentur a Cantoribus, a solo Celebrante submissa voce recitabuntur).

Antiphona Ps. 68, 17

Exáudi nos, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua: secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice nos, Dómine.

Ps. ibid. v. 2 Salvum me fac, Deus: quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sǽcula sæculórum. Amen.

Repetitur Ant. Exáudi nos, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua: secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice nos, Dómine.

10 Interim primus Clericus in sacristia præparat thuribulum cum igne, illudque cum navicula affert ad Altare.

11 Repetita Antiphona Exáudi, Celebrans stans ibidem non se vertens ad populum, dicit in tono feriali, ac manibus junctis, Dóminus vobíscum, et postmodum subjungit quatuor Orationes.

12 Dum dicitur quarta Oratio, tertius Clericus accipit vas Aquæ benedictæ, et una cum Clerico thuriferario accedit ad dexteram Celebrantis.

13 Celebrans, ministerio secundi Clerici, imponit incensum in thuribulo, et deinde aspergit et thurificat Cineres de more (Cfr. tit. I, cap. II, § 1, num. 12 et 13).

14 Expleta benedictione, vas cum Cineribus ponitur in medio Altaris.

15 Celebrans, facta in medio Altaris Cruci reverentia, sedens, ut alias, in cornu Evangelii in suppedaneo, laudabiliter habet sermonem ad populum super benedictione et impositione Cinerum in hac Feria.

§ II - De Cinerum impositione

1 Celebrans (absente alio Sacerdote) consistit super suppedaneo in medio, ad Altare conversus, sibique ipsi Cineres in modum Crucis imponit in capite, nihil dicens.

¶ Si adsit alius Sacerdos, hic, sine stola, accedens ad Altare, imponit Cineres Celebranti, qui stabit capite inclinato et facie versa ad populum, dicendo Meménto, homo, quia pulvis es, et in púlverem revertéris.

2 Celebrans, acceptis Cineribus (nisi adsint qui cantent; secus ad Cinerum impositionem immediate procedit, et Cantores statim canunt Antiphonas cum Responsorio et Psalmo), accedit ad Missale in cornu Epistolæ, et recitat cum Clericis, ut infra, Ant. Immutémur etc., usque ad finem Responsorii.

Antiphona Joël 2, 13

Immutémur hábitu, in cínere et cilício: jejunémus, et plorémus ante Dóminum: quia multum miséricors est dimíttere peccáta nostra Deus noster.

Alia Antiphona Ibid. v. 17

Inter vestíbulum et altáre plorábunt sacerdótes minístri Dómini, et dicent: Parce, Dómine, parce pópulo tuo: et ne claudas ora canéntium te, Dómine.

Responsorium Esther 13; Joël 2

Emendémus in mélius, quæ ignoránter peccávimus: ne, súbito præoccupáti die mortis, quærámus spátium pœniténtiæ, et inveníre non possímus. * Atténde, Dómine, et miserére: quia peccávimus tibi.

℣. Ps. 78, 9 Adjuva nos, Deus, salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Atténde, Dómine, et miserére: quia peccávimus tibi.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

Atténde, Dómine, et miserére: quia peccávimus tibi.

3 Deinde imponit Cineres omnibus de Clero, dispositis super oram suppedanei, et dignior erit proximior

ad latus Epistolæ, dicens Meménto, homo, quia pulvis es, et in púlverem revertéris.

4 Celebrans, facta reverentia Altari, medius inter secundum et tertium Clericum, accedit ad cancellos presbyterii e regione Epistolæ, et imponit Cineres primo viris, deinde feminis.

5 Completa impositione, Celebrans, in plano Epistolæ, ministrantibus Clericis, lavat manus cum mica panis, et tergit.

6 Deinde pergit per latus Altaris ad librum in cornu Epistolæ.

7 Ibidem, facie ad Altare versa, dicit manibus junctis Dóminus vobíscum et Orationem Concéde nobis, Dómine, etc., et descendit ad planum Epistolæ.

§ III - De Missa

1 Celebrans, in plano Epistolæ prope abacum, adjuvantibus suis Clericis, deponit pluviale, et accipit manipulum et planetam, et sedet aliquantulum.

2 Interim primus Clericus defert Calicem ad Altare, et expanso Corporali in medio ejus, aptat Calicem super illud.

3 Celebrans procedit ad Missam, in qua omnia ut in Missali.

4 Dum dicitur Communio, primus Clericus amovet Calicem ab Altari, et defert ad credentiam.

5 Completa Missa, Celebrans redit, præcedentibus Clericis, manibus junctis, in sacristiam, ubi, depositis paramentis sacris, Deo gratias agit.

6 Clerici, exstinctis candelis, reportant omnia in sacristiam, et recondunt.



TITULUS III
DE DOMINICA PALMARUM

CAPUT I
DE PRÆPARANDIS PRO SACRIS ACTIONIBUS HUJUS DOMINICÆ

In Altari majori

Pallium violaceum,
2 Missale in cornu Epistolæ, apertum super pulvino violaceo, vel legili.
3 Rami Palmarum, loco florum, inter candelabra.

Prope cornu Epistolæ in plano

1 Mensa cooperta mantili albo, et super eam Palmæ benedicendæ.

2 Crux processionalis, tecta velo violaceo, et vitta violacea pro liganda Palma in summitate Crucis.

3 Scabellum pro Celebrante.

In abaco, seu credentia

1 Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris violacei.

2 Manipulus et planeta coloris violacei.
3 Pelvis et urceus pro lotione manuum.
4 Manutergium in lance.
5 Pelvicula cum ampullis vini et aquæ, et mappula ad manus tergendas.
6 Exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in Processione.
7 Liber ritualis pro aspersione Aquæ benedictæ.
8 Tintinnabulum.

In sacristia

1 Tria superpellicea pro Clericis.
2 Superpelliceum, amictus, alba, cingulum, stola et pluviale violacei coloris pro Celebrante.
3 Thuribulum et navicula cum thure.
4 Foculus cum igne et forcipe.
5 Vasa aquæ benedicendæ et salis, cum aspersorio.
6 Missale vel Rituale.

CAPUT II
DE SACRIS RITIBUS DOMINICA PALMARUM PERSOLVENDIS

§ I - De Palmarum benedictione

Omnibus suo loco dispositis, festivo campanarum sonitu, hora congrua, convocatur populus.

2 Celebrans in sacristia, lotis manibus, adjuvantibus secundo ac tertio Clerico, induit supra superpelliceum (si commode fieri possit) amictum, albam, cingulum et stolam violaceam.

3 Item benedicit aquam, ut in Missali vel Rituali, ac dein assumit pluviale; interim primus Clericus accendit cereos in Altari.

4 Celebrans, facta reverentia, uti alias, præcedente primo Clerico portante vas cum Aqua nuper benedicta, medius inter secundum et tertium Clericum, tecto ca-

pite, procedit ad Altare, ubi, dimisso bireto factaque consueta reverentia, genuflectit in ejus infimo gradu pro aspersione Aquæ benedictæ.

5 Fit aspersio more solito, ut in Rituali.

6 Celebrans, medius inter Clericos, ut supra n. 4, ascendit Altare, et illud osculatur in medio, deinde in cornu Epistolæ, alta et æquali voce (si desint Cantores) incipit Ant. Hosánna etc., quam cum Clericis prosequetur (si Cantores habeantur, recitat solus Celebrans).

Antiphona Matth. 21, 9

Hosánna fílio David: benedíctus, qui venit in nómine Dómini. O Rex Israël: Hosánna in excélsis.

7 Stans ibidem dicit, manibus junctis, Dóminus vobíscum, et deinde Orationem Deus, quem dilígere etc.

8 Subjungit Lectionem, et post eam dicit cum Clericis Responsorium Collegérunt etc., aut aliud In monte Olivéti, (vel solus recitat, quod a Cantoribus decantatur).

Responsorium Joann. 11, 47-49, 50 et 53

Collegérunt pontífices et phárisæi concílium, et dixérunt: Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimíttimus eum sic, omnes credent in eum: * Et vénient Románi, et tollent nostrum locum et gentem.

℣. Unus autem ex illis, Cáiphas nómine, cum esset póntifex anni illíus, prophetávit dicens: Expedit vobis, ut unus moriátur homo pro pópulo, et non tota gens péreat. Ab illo ergo die cogitavérunt interfícere eum, dicéntes.

Et vénient Románi, et tollent nostrum locum et gentem.

Vel aliud Responsorium Matth. 26, 39 et 41

In monte Olivéti orávit ad Patrem: Pater, si fíeri potest, tránseat a me calix iste. * Spíritus quidem promptus est, caro autem infírma: fiat volúntas tua.

℣. Vigiláte, et oráte, ut non intrétis in tentatiónem.

Spíritus quidem promptus est, caro autem infírma: fiat volúntas tua.

9 Præmisso eodem loco Munda cor meum, legit Evangelium, et osculatur textum.

10 Deinde dicit Dóminus vobíscum, Orationem et Præfationem, tenens semper manus junctas, tam ad hæc, quam ad subsequentes Orationes.

11 Clerici cum Celebrante dicunt (et Cantores concinunt):

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus, Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

12 Celebrans, præmisso Dóminus vobíscum, subjungit quinque alias Orationes.

13 Interim primus Clericus in sacristia ponit ignem in thuribulo, accipit naviculam, eaque affert ad Altare.

14 Dum dicitur quinta Oratio, tertius Clericus accipit e credentia vas Aquæ benedictæ, et una cum Thuriferario accedit ad dexteram Celebrantis.

15 Celebrans, ministrante secundo Clerico cum

osculis, imponit incensum in thuribulo cum benedictione.

16 Deinde ter aspergit Ramos, dicens submissa voce Aspérges me etc. sine Psalmo, ac demum eosdem thurificat, nihil dicens.

17 Celebrans dicit iterum Dóminus vobíscum et sextam Orationem.

18 Primus Clericus deponit thuribulum.

19 Celebrans, facta reverentia in medio Altaris, sedens in suppedaneo a parte Evangelii, ut alias, laudabiliter sermonem habet sollemnitati congruum.

§ II - De Palmarum distributione

1 Primus Clericus accipit e credentia Palmam pro Celebrante, et collocat super Altare (nisi adsit aliquis in presbyterali ordine constitutus).

2 Celebrans pergens in medium suppedanei Altaris, accipit inde, ad Crucem conversus, Palmam, quam osculatur, et tradit primo Clerico servandam.

¶ Si adsit aliquis Sacerdos, hic dabit Palmam Celebranti, ut dictum fuit Candela in festo Purificationis.

3 Celebrans (nisi adsint qui cantent; secus ad distributionem immediate procedit) accedit ad cornu Epistolæ, et cum suis Clericis recitat Antiphonas Púeri Hebræórum etc.

Antiphona

Púeri Hebræórum, portántes ramos olivárum, obviavérunt Dómino, clamántes et dicéntes: Hosánna in excélsis.

Alia Antiphona

Púeri Hebræórum vestiménta prosternébant in via, et clamábant, dicéntes: Hosánna fílio David: benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

4 Deinde vertit se ad populum et, offerente Palmas a sinistris tertio Clerico, quas primus attulerit, distribuit easdem primo Presbyteris, si adsint, deinde Clericis, genuflexis in suppedaneo, et dignioribus prope cornu Epistolæ, qui omnes osculantur prius Ramum, deinde manum Celebrantis.

5 Celebrans descendit ab Altari, et facta reverentia, accedit ad cancellos Altaris versus cornu Epistolæ.

6 Ibi incipit Palmas distribuere populo, primo viris, deinde feminis, ut supra n. 4.

¶ Si Cantores adfuerint, statim ac Celebrans inceperit distribuere Palmas, inchoant Antiphonam Púeri Hebræórum, eamque cum alia prosequuntur (et repetunt, si opus fuerit), distributione perdurante.

7 Completa distributione, Celebrans lavat manus in plano Epistolæ, Clericis ministrantibus.

8 Accedit per latus Altaris ad librum in cornu Epistolæ, et dicit Dóminus vobíscum et ultimam Orationem.

9 Interim primus Clericus apponit et firmat vitta violacea unam ex Palmis in summitate Crucis processionalis.

10 Completa Oratione, primus Clericus porrigit Celebranti et aliis duobus Clericis Palmas, et (in defectu Cantorum) exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in Processione.

§ III - De Processione

1 Celebrans, tenens Palmam in dextera, vertit se in eodem cornu Epistolæ Altaris ad populum, et dicit Procedámus in pace; et Clerici (vel Chorus) respondent In nómine Christi. Amen, et Celebrans (sive aliquis ex Cantoribus, si adsint) inchoat Ant. Cum appropinquáret etc.

2 Dirigitur Processio: præcedit primus Clericus cum Cruce; sequitur Celebrans, facta prius ante Altare debita reverentia, medius inter alios duos Clericos, capite

cooperto, recitans (si desint Cantores) alternatim cum eis alta voce Antiphonas, quæ sequuntur, omnes, vel quot sunt necessariæ, quoadusque durat Processio, ad Versus aptatas, ut commodius recitentur.

3 Proceditur recta via extra portam principalem, recitando (vel concinentibus Cantoribus) ut infra:

Antiphona Matth. 21, 1-3, 7, 8 et 9

Cum appropinquáret Dóminus Jerosólymam, misit duos ex discípulis suis, dicens:

Ite in castéllum, quod contra vos est: et inveniétis pullum ásinæ alligátum, super quem nullus hóminum sedit.

Sólvite, et addúcite mihi.

Si quis vos interrogáverit, dícite: Opus Dómino est.

Solvéntes adduxérunt ad Jesum: et imposuérunt illi vestiménta sua, et sedit super eum.

Alii expandébant vestiménta sua in via: álii ramos de arbóribus sternébant.

Et qui sequebántur, clamábant: Hosánna, benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

Benedíctum regnum patris nostri David. Hosánna in excélsis: miserére nobis, fili David.

Alia Antiphona Joann. 12, 12 et 13

Cum audísset pópulus, quia Jesus venit Jerosólymam, accepérunt ramos palmárum.

Et exiérunt ei óbviam, et clamábant púeri, dicéntes:

Hic est, qui ventúrus est in salútem pópuli.

Hic est salus nostra et redémptio Israël.

Quantus est iste, cui Throni et Dominatiónes occúrrunt!

Noli timére, fília Sion: ecce, Rex tuus venit tibi, sedens super pullum ásinæ, sicut scriptum est.

Salve, Rex, fabricátor mundi, qui venísti redímere nos.

Alia Antiphona

Ante sex dies sollémnis Paschæ, quando venit Dóminus in civitátem Jerúsalem,

Occurrérunt ei púeri: et in mánibus portábant ramos palmárum,

Et clamábant voce magna, dicéntes: Hosánna in excélsis.

Benedíctus, qui venísti in multitúdine misericórdiæ tuæ: Hosánna in excélsis.

Alia Antiphona

Occúrrunt turbæ cum flóribus et palmis Redemptóri óbviam: et victóri triumphánti digna dant obséquia.

Fílium Dei ore gentes prædicant: et in laudem Christi voces tonant per núbila: Hosánna in excélsis.

Alia Antiphona

Cum Angelis et púeris fidéles inveniámur, triumphatóri mortis clamántes: Hosánna in excélsis.

Alia Antiphona

Turba multa, quæ convénerat ad diem festum, clamábat Dómino: Benedíctus, qui venit in nómine Dómini: Hosánna in excélsis.

4 Primus Clericus cum Cruce sistit ante portam principalem, facie ad eamdem versa.

5 Secundus et tertius Clericus (deficientibus Cantoribus) intrant Ecclesiam, et clauso ostio, stantes versa facie ad Processionem, dicunt:

Glória, laus et honor tibi sit, Rex Christe, Redémptor:
Cui puerile decus prompsit Hosánna pium.

6 Hunc Versum Celebrans extra Ecclesiam, facie ad portam conversa, repetit, tecto capite.

Cel. Glória, laus et honor tibi sit, Rex Christe, Redémptor:
Cui puerile decus prompsit Hosánna pium.

Cler. Israël es tu Rex, Davídis et ínclyta proles:
Nómine qui in Dómini, Rex benedícte, venis.

Cel. Glória, laus et honor tibi sit, Rex Christe, Redémptor:

Cui pueríle decus prompsit Hosánna pium.

Cler. Cœtus in excélsis te laudat cǽlicus omnis.
Et mortális homo, et cuncta creáta simul.

Cel. Glória, laus et honor tibi sit, Rex Christe, Redémptor:
Cui pueríle decus prompsit Hosánna pium.

Cler. Plebs Hebræa tibi cum palmis óbvia venit:
Cum prece, voto, hymnis, ádsumus ecce tibi.

Cel. Glória, laus et honor tibi sit, Rex Christe, Redémptor:
Cui pueríle decus prompsit Hosánna pium.

Cler. Hi tibi passúro solvébant múnia laudis:
Nos tibi regnánti pángimus ecce melos.

Cel. Glória, laus et honor tibi sit, Rex Christe, Redémptor:
Cui pueríle decus prompsit Hosánna pium.

Cler. Hi placuére tibi, pláceat devótio nostra:
Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent.

Cel. Glória, laus et honor tibi sit, Rex Christe, Redémptor:
Cui pueríle decus prompsit Hosánna pium.

7 Versibus completis, vel partim recitatis, prout videbitur, primus Clericus calce hastilis Crucis percutit imam partem ipsius portæ, ita ut fragor audiatur, et duo Clerici, qui sunt intus Ecclesiam, portam aperiunt, et sistunt se hinc inde prope januam.

¶ Si adsit copia Cantorum, hi post Crucem incedunt, et duo ex illis Ecclesiam ingrediuntur, et faciunt ut dictum est de Clericis, n. 5. Qui exterius remanent, repetunt Versum Glória, laus etc.

8 Primus Clericus cum Cruce ingreditur Ecclesiam, et Celebrans subsequendo (vel aliquis ex Cantoribus) incipit Responsorium Ingrediénte Dómino, etc.

9 Secundus et tertius Clericus excipiunt Celebrantem, et ponentes illum in medio, prosequuntur cum eo (alias Cantores):

Responsorium

Ingrediénte Dómino in sanctam civitátem, Hebræórum púeri resurrectiónem vitæ pronuntiántes, *

Cum ramis palmárum: Hosánna, clamábant, in excélsis.

℣. Cum audísset pópulus, quod Jesus veníret Jerosólymam, exiérunt óbviam ei.

Cum ramis palmárum: Hosánna, clamábant, in excélsis.

10 Terminatur Processio et Responsorium ante Altare majus.

§ IV - De Missa post Processionem

1 Primus Clericus deponit Crucem, et deinde recipit Palmas a Celebrante et Clericis.

2 Celebrans, in plano Epistolæ, prope abacum, de-

ponit pluviale, et accipit manipulum et planetam, et sedet aliquantulum.

3 Primus Clericus portat Calicem ad Altare, et expanso Corporali, in medio ejus illum collocat et aptat.

4 Celebrans procedit ad Missam celebrandam, in qua Clerici poterunt tenere Palmam, dum legitur Passio, et in fine Missæ legitur Evangelium S. Joannis In principio erat etc.

¶ Si cantus adhibeatur, tres Diaconi, qui forte adsint, possent assumi ad canendam Passionem; et tunc Passionem leget Celebrans in cornu Epistolæ, dicet in medio Altaris Munda cor meum etc., et in cornu Evangelii cantabit partem Passionis, quæ in tono Evangelii in Missali præscribitur canenda. Si Diaconi fuerint duo, hi possent cantare partes Chronistæ et Synagogæ, partes Christi sustinente Celebrante ad Altare in cornu Evangelii, quin planetam dimittat. Si non adsint Diaconi, Celebrans leget Passionem in cornu Evangelii.

5 Dum Celebrans legit Ant. Communio, primus Clericus amovet Calicem ab Altari, et portat ad credentiam.

6 Completa Missa, Celebrans redit manibus junctis in sacristiam, Clericis præcedentibus.

7 Ibi deponit sacra paramenta, et gratias agit.

8 Clerici, exstinctis candelis, ex Altari et credentia resumunt omnia, et suis locis recondunt.



TITULUS IV
DE FERIA V IN CŒNA DOMINI

CAPUT I
DE PRÆPARANDIS PRO FUNCTIONIBUS HAC FERIA PERSOLVENDIS

In Altari majori

Altare sollemniter ornatum, et cum pallio albi coloris.

2 Tabernaculum ad condendam Pyxidem, nisi jam habeatur.

3 Crux tecta velo albi coloris inter candelabra.

4 Missale super pulvino albo, sive legili in cornu Epistolæ.

Prope cornu Epistolæ, in plano

Scabellum simplex pro Celebrante, si velit sedere durante cantu in Missa.

In abaco, seu credentia

1 Calix pro Missa cum ornamentis coloris albi, et duplici Hostia.

2 Alius Calix cum Palla, Patena, velo albo et ligula serica albi coloris.

3 Pyxis cum Particulis consecrandis ad Communionem populi et infirmorum.

4 Pelvicula cum urceolis vini et aquæ, et manutergium.

5 Schedulæ tradendæ communicatis, si moris est.

6 Velum humerale albi coloris.

7 Mappa oblonga extendenda prius ante Clericos, et postea, nisi alia jam habeatur, super cancellos in Communione populi.

8 Tintinnabulum, si soleat pulsari ad intonationem Hymni Angelici.

Prope abacum

Crux processionalis, cooperta velo violaceo.

Extra cancellos

Baldachinum hastatum, vel umbella albi coloris, pro Processione.

In sacristia

1 Tria superpellicea pro Clericis.

2 Superpelliceum, amictus, alba, cingulum, manipulus, stola et planeta albi coloris pro Celebrante.

3 Pluviale album.

4 Stola violacea.

5 Thuribulum et navicula cum thure.

6 Foculus cum igne et forcipe.

7 Funalia, sive candelæ pro Processione.

8 Prope sacristiam, vel alio loco opportuno extra Ecclesiam, tabernaculum ad ponendam Pyxidem post functionem, Corporale supra mensam explicatum, et lampas, suo tempore accendenda.

9 Crotalum pro signo Salutationis Angelicæ.

In Sacello parato pro repositione Ssmi Sacramenti

1 Locus ipse ab Altari majori distinctus, et decenter velis pretiosis, non tamen nigris, et luminibus ac floribus ornatus, sine Reliquiis aut imaginibus Sanctorum.

2 Supra Altare ibidem erectum capsula elegans clave firmata, pro Calice servando.

3 Corporale stratum intra capsulam.

4 Aliud Corporale super Altare.

5 Scabellum gradatum, si opus erit, pro repositione Calicis in capsula.

CAPUT II

DE SACRIS RITIBUS FERIA V IN CŒNA DOMINI PERAGENDIS

§ I - De Missa usque ad Processionem

Clerici induti superpelliceis disponunt omnia suis locis, ut supra.

2 Editur sonus harmonicus campanarum pro convocatione populi.

3 Hora congrua, Sacerdos celebraturus, lotis manibus, induit se supra superpelliceum (si commode fieri possit) paramentis sacris albi coloris.

4 Primus Clericus accendit candelas in Altari majori, et aptat Calicem in medio ejus, et retro illum Pyxidem cum Particulis.

5 Celebrans, facta consueta reverentia, præcedentibus primo Clerico et post eum secundo cum tertio, manibus junctis, procedit tecto capite ad Altare pro Missa.

6 Demisso bireto factaque reverentia de more, incipit Missam, omisso in Confessione Psalmo Júdica me, Deus, etc. et Glória Patri.

7 Ad Glória in excélsis pulsantur campanæ in turri, et, si adsit consuetudo, campanulæ intra Ecclesiam: quæ deinde silent usque ad Sabbatum sanctum.

8 Ultra Hostiam consuetam consecratur et alia, et Particulæ pro Communione fidelium et pro infirmis.

9 Dicitur, ut alias, Agnus Dei (licet non sit danda Pax).

10 Dum Celebrans dicit Orationes ante Communionem, primus Clericus portat ex abaco ad Altare Calicem vacuum cum Palla, Patena et velo albi coloris.

11 Celebrans, sumpto Sanguine et cooperto Calice ex quo sumpsit, illum versus sinistram suam collocat, alterum Calicem ponit in medio Corporalis, et detegit.

12 Genuflectit, et alteram Hostiam consecratam reponit in Calice, cooperit Palla et Patena inversa, et velum desuper expandit, et genuflectit.

13 Accipit Pyxidem, et ponit eam ante Calicem velatum: discooperit, et facta genuflexione, retrahit se in cornu Evangelii, versa facie ad cornu Epistolæ.

14 Clericus genuflexus in cornu Epistolæ, omnibus similiter communicantibus de Clero et populo genuflectentibus, ceteris stantibus usque ad Indulgéntiam etc. inclusive, dicit (vel cantat) Confíteor Deo etc.

15 Celebrans subjungit Misereátur etc. et Indulgéntiam etc., ut alias.

16 Celebrans accedens ad medium genuflectit, et accepta Pyxide, vertit se ad communicandos, et dicit de more ter Ecce Agnus Dei etc.

17 Fit Communio Clericorum, apud Altare, deinde virorum et mulierum ad cancellos, expansa mappa ante pectus eorumdem.

18 Peracta Communione, Celebrans ad Altare cooperit Pyxidem, et eam servat in tabernaculo.

19 Deinde, dicto Quod ore etc., se purificat, et facta genuflexione, abluit digitos super Calicem supra Altare de more: et rediens ad medium, genuflectit, et sumit ablutionem.

20 Calix Missæ, abstersus et compositus de more, absque tamen bursa et Corporali, a primo Clerico de-

fertur ad credentiam; accenduntur cerei in Sacello Sepulcri; disponitur baldachinum, sive umbella, et distribuuntur cerei pro sodalibus, si adsint, vel cultioribus de populo.

21 Celebrans prosequitur Missam, in qua hæc observabit:

Exterso et parato Calice (ut num. præced.) genuflectit, accedit ad cornu Epistolæ, et legit Communionem.

Venit in medium, genuflectit, osculatur Altare, et retrahens se aliquantulum a latere Evangelii dicit Dóminus vobíscum.

Redit in medium, genuflectit, et accedit ad cornu Epistolæ, ubi legit Postcommunionem.

Vadit iterum in medium, genuflectit, osculatur Altare, vertit se, ut prius, dicit Dóminus vobíscum et Ite, Missa est.

Vertit se ad medium, genuflectit, dicit Pláceat etc., osculatur Altare, dicit Benedícat vos omnípotens Deus, et genuflectit.

Vertit se in cornu Evangelii: dat benedictionem, et non perficiens circulum, convertit se ad idem latus Evangelii, non rediens in medium.

Dicit Evangelium S. Joannis, ad quod signat librum, vel tabellam, non autem Altare.

Ad Et Verbum caro factum est etc., genuflectit versus Sacramentum.

22 Celebrans, completa Missa, descendit in planum ad medium, genuflectit utroque genu ante infimum gradum, et accedit in eodem plano ad cornu Epistolæ.

23 Ibi per manus Clericorum deponit planetam et manipulum, et accipit pluviale albi coloris, cavens ne terga vertat Sacramento.

24 Interim primus Clericus accipit thuribulum cum igne et naviculam cum thure, ac redit ad Altare.

§ II - De Processione Ssmi Sacramenti ad Sacellum

1 Celebrans accedit ante Altare, et facta utroque genu adoratione in plano, orabit genuflexus in inferiori gradu.

2 Primus Clericus cum thuribulo et navicella accedit ad Celebrantem.

3 Celebrans, surgens, imponit thus in thuribulo sine benedictione, ministrante naviculam secundo ex Clericis sine osculis.

4 Celebrans, iterum genuflexus in infimo gradu, incensat Ssmum Sacramentum in Calice.

5 Deinde accipit velum humerale, et surgens accedit ad mensam Altaris: genuflectit, surgit, et ad cautelam firmat velum Calicis ligula serica albi coloris.

6 Accipit Calicem sinistra per nodum, submittens eam velo, et dexteram ponit super Calicem, supra quam secundus Clericus extendit extremitates ambas veli humeralis.

7 Celebrans cum Calice vertit renes Altari, et (si desint Cantores) incipit Hymnum Pange, lingua etc., ut infra.

8 Proceditur ordine sequenti ad Sacellum Sepulcri:

Vexillum consuetum, ut in aliis Processionibus.

Sodales vel pii viri cum luminibus.

Crux processionalis delata a tertio Clerico.

Clerici de Choro, si qui aderunt, cum cereis.

Primus Clericus cum thuribulo fumigante, quod agitat continue ac moderate.

Celebrans sub baldachino, a sodalibus vel piis viris gestato, vel sub umbella, et a sinistris ejus secundus Clericus, elevans fimbriam pluvialis et vestis anterioris ejus extremitates, cum opus fuerit, recitantes Hymnum Pange, lingua, etc.

¶ Si Cantores aderunt, converso Celebrante ad populum, incipient Hymnum, quem durante Processione,

post Crucem incedentes, decantant, usque ad stropham Tantum ergo exclusive, repetendo, si opus fuerit, alias, a secunda incipiendo. Celebrans cum Clerico submissa voce Hymnum recitabit, et si tempus supersit, alios Hymnos vel Psalmos vel Cantica. Populus laudabiliter cantui se consociabit.

Hymnus

Cel. Pange, língua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.

2. Cler. Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

Cel. In suprémæ nocte cœnæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

2. Cler. Verbum caro, panem verum
Verbo carnem éfficit;
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus déficit,

Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

Cel. Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui;
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui;
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum deféctui.

2. Cler. Genitóri, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio:
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio.

Cel. Amen.

9 Ad Sacellum omnes se disponunt per duas partes (laici extra cancellos: juniores prope vexillum, seniores versus Altare), ita ut Thuriferarius et Celebrans sub baldachino possint transire per medium illorum.

10 Deferentes vexillum et Crucem sistent e regione Sacelli.

11 Celebrans ascendit Altare Sacelli, et deponit Calicem supra Altare: genuflectit, descendit, et genuflexus in gradu infimo deponit velum humerale.

12 Interim deferentes baldachinum (sive umbellam) asportant illud ad locum congruum.

13 Celebrans surgens imponit iterum incensum in thuribulo, sine benedictione, et sine assistentis osculis: et genuflexus super eumdem gradum, dum Clerici recitabunt (vel Cantores decantabunt) stropham Tantum ergo Sacraméntum etc., post Venerémur cérnui, Sacra-

mentum incensat; vel id fiet, secundum consuetudinem, ad ultimam stropham Genitóri, Genitóque etc.

14 Deposito thuribulo, Celebrans surgit, ascendit ad Altare, genuflectit, et accipiens Calicem, illum recondit in capsula, admoto per secundum Clericum scabello gradato, si opus erit.

15 Iterum genuflectit, claudit capsulam et, secum ferens clavem, descendit in planum Sacelli.

16 Celebrans genua flectit in gradu infimo Altaris, et post aliqualem orationem surgit, et facta adoratione ambobus genibus in plano, præcedente Cruce, medius inter alios Clericos, quorum alter velum humerale gestat, revertitur ad Altare majus, tecto capite, cum fuerit extra conspectum Ssmi Sacramenti.

§ III - De Pyxidis asportatione

1 Cum omnes pervenerint ad Altare, Crux deponitur loco suo, et secundus et tertius Clericus accipiunt cereos accensos.

2 Celebrans, facta genuflexione, ascendit Altare, extrahit e tabernaculo Pyxidem cum Particulis: collocat eam super Corporale, et genuflectit.

3 Descendens de suppedaneo, flectit genua in ora ipsius, et accipit velum pro humeris a primo Clerico, qui statim sumit umbellam, gestandam super Sacramentum, nisi alius illam deferat.

4 Ascendit Altare, genuflectit, et manu sinistra velata accipit Pyxidem, quam cooperit dextera item velata, et præcedentibus Clericis cum cereis accensis, portat eamdem Pyxidem ad locum paratum extra Ecclesiam, in quo lampas jam colluceat (qui si haberi nequeat, ad Altare Sepulcri), et collocat super Corporale, et postea genuflectit.

5 Deinde descendens, genua flectit in suppedaneo, ubi per manus Clerici deponit velum: iterum ascendit

et genuflectit; aperit tabernaculum (vel capsulam), et recondit Pyxidem (retro Calicem).

6 Genuflectit, et claudit ostiolum, et facta oratione in infimo gradu, genuflectit in plano (utroque genu, si erit ad Altare Sepulcri), et revertitur, tecto capite (extra conspectum Ssmi Sacramenti), in sacristiam.

7 Ibi deponit pluviale et stolam albi coloris, et sumit stolam violaceam tantum, aptatam in modum Crucis.

§ IV - De Altarium denudatione

1 Celebrans, paratus ut supra, associatus a Clericis, manibus junctis, accedit ad Altare majus.

2 In plano, ante illud stans, inchoat alta voce Ant. Divisérunt sibi, quam prosequitur cum Psalmo Deus, Deus meus, réspice in me etc., recitans illum cum Clericis (si Cantores aut alii Clerici in Choro maneant, hi tantum prosequentur Psalmum, et repetent Antiphonam).

3 Interim Celebrans ascendit Altare, quod denudat, amovendo tobaleam superiorem et alias.

4 Clerici recipiunt tobaleas, et amovent ab Altari vasa florum, pallium, tapete etc., adeo ut in Altari non remaneant nisi Crux et candelabra cum candelis exstinctis.

¶ Si hæc statim commode fieri nequeunt, fient postea, denudata saltem in cæremonia majori parte mensæ Altaris.

5 Celebrans, denudato Altari majori, procedat ad denudationem reliquorum Altarium, si plura adsint.

Ant. Ps. 21, 19 Divisérunt sibi vestiménta mea: et super vestem meam misérunt sortem.

Psalmus 21

Deus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies: * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt: * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ. In te projéctus sum ex útero:

De ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discésseris a me:

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua

mea adhæsit fáucibus meis : * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos : * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me : * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me : * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam : * et de manu canis únicam meam :

Salva me ex ore leónis : * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum : * univérsum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël : * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis :

Nec avértit fáciem suam a me : * et *cum* clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna : * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur : et laudábunt Dóminum qui requírunt eum : * vivent corda eórum in sǽculum sǽculi.

Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ:

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * et annuntiábunt cæli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.


Ant. Divisérunt sibi vestiménta mea: et super vestem meam misérunt sortem.

6 Denudatis Altaribus, Celebrans redit ante Altare majus, ubi, post ultimum versum Psalmi, repetit Antiphonam, et facta reverentia Cruci, Clericis genuflectentibus, revertitur in sacristiam.

7 Ibi paramenta deponit, et gratias de more peragit.

8 Primus Clericus amovebit a Cruce Altaris majoris velum coloris albi, aptabitque illi consuetam velum violaceum, et una cum aliis omnia in functione adhibita suis locis reponet.

9 Curabitur, quoad fieri possit, ut assidue adsint, qui orent ante Ssñum Sacramentum in Sacello Sepulcri, utque decens numerus cereorum in eo colluceat.



TITULUS V
DE FERIA VI IN PARASCEVE

CAPUT I
DE PRÆPARANDIS PRO OFFICIO HUJUS FERIÆ

In Altari majori

Altare ipsum undequaque nudum cum sex candelabris habentibus cereos exstinctos ceræ communis.

2 Crux lignea in eodem, cooperta velo violaceo, vel nigro, secundum consuetudinem, quod facile solvi et removeri possit.

3 Pulvinar violaceum in secundo gradu ejusdem Altaris.

In abaco, seu credentia

1 Mantile lineum planitiem abaci non excedens.

2 Mappa unica plicata pro Altari, parum ultra mensuram mensæ.

3 Pulvinus niger, seu legile cum Missali.

4 Bursa nigri coloris cum Corporali et Purificatorio.

5 Vasculum cum aqua et purificatorio.

6 Velum nigrum pro Calice in fine Officii.

7 Pelvicula cum ampullis vini et aquæ, et manutergium.

8 Lanx argentea pro oblationibus, si vigeat consuetudo eas exhibendi.

Prope abacum

1 Tapete oblongum, pulvinar violaceum nobile, et velum album serico violaceo contextum.

2 Crux processionalis velo violaceo obducta.

3 Scabellum pro Celebrante.

In Sacello Sepulcri

1 Corporale stratum super Altare.

2 Velum humerale album.

3 Baldachinum, sive umbella albi coloris, extra cancellos.

4 Intorticia et cerei pro Processione.

In sacristia

1 Tria superpellicea pro Clericis.

2 Superpelliceum, amictus, alba, cingulum, manipulus, stola et planeta nigri coloris pro Celebrante.

3 Thuribulum et navicella cum thure.

4 Foculus cum igne et forcipe.

5 Crotalum ad populum convocandum.

CAPUT II

DE SACRIS RITIBUS FERIA VI IN PARASCEVE PERSOLVENDIS

§ I - De principio Officii usque ad denudationem Crucis

Hora competenti, Clerici accipiunt superpellicea in sacristia, accendunt omnes cereos ad Altare Sepulcri, et disponunt omnia, ut supra, ac datur signum cum crotalo.

2 Celebrans, lotis manibus, accipit supra superpelliceum (si commode fieri possit) amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam et planetam nigri coloris.

3 Præcedentibus Clericis, facta consueta reverentia, manibus junctis, accedit ad Altare majus, tecto capite.

4 Detecto capite, Altari reverentiam de more facit, et procumbit, positis brachiis super pulvino, in secundo gradu collocato, et orat spatio fere unius Miserére.

5 Primus Clericus, accepta mappa, illam extendit per longitudinem super mensam Altaris, adjuvante secundo Clerico, non explicando eam per latitudinem, ita ut duplicata sit post medium Altaris, et denudatæ maneant partes mensæ versus frontem ejusdem Altaris.

6 Tertius Clericus collocat pulvinum seu legile cum Missali in cornu Epistolæ.

7 Celebrans surgit a procubitu, et amoto per Clericum pulvinari, ascendit Altare, et osculatur illud in medio.

8 Accedens ad cornu Epistolæ, legit primam Lectionem cum Tractu.

¶ Si functio cum cantu peragatur, Lectio per Clericum, si quis capax est, cantabitur, et Tractus a Cantoribus, submissa voce ea legente Celebrante. Similiter Lectio et Tractus sequentes.

9 Deinde dicit Orémus, et genuflectens cum omnibus Flectámus génua, et secundus Clericus primo surgens dicit Leváte, et Celebrans subjungit Orationem Deus, a quo etc.

10 Deinde legit secundam Lectionem et Tractum, ac successive Passionem.

¶ Si tres Diaconi haberi possunt, ad Passionem canendam assumi queunt; si duo, possent cantare partes Chronistæ et Synagogæ, partes Christi sustinente Celebrante ad Altare, in cornu Evangelii, quin planetam dimittat.

11 Dicto ibidem Munda cor meum etc., prosequitur

eam partem, quæ cantaretur in tono Evangelii (quam tamen si cantari oporteat, lectis in cornu Epistolæ Passione et Tractu, et dicto in medio Altari Munda cor meum etc., in cornu Evangelii canit).

12 In fine non osculatur librum, sed immediate (nisi sit habendus sermo de Passione) incipit in eodem cornu Epistolæ Monitiones et Orationes, ut in Missali.

13 Ante singulas Orationes, octava excepta, Celebrans genuflectens, prout faciunt et ceteri, dicit Flectámus génua, et secundus Clericus, surgens ante omnes, dicit Leváte.

14 Circa finem Orationum, primus Clericus, adjuvante tertio, extendit ante gradus, ad ingressum presbyterii, tapete, et super primum vel secundum ejus gradum ponit pulvinar violaceum, et super eo velum album serico violaceo contextum, quod expandunt per longitudinem tapetis.

§ II - De Crucis denudatione et adoratione

1 Completis Orationibus, Celebrans, descendens per breviorem in planum, in eodem cornu Epistolæ, deponit planetam tantum.

2 Deinde per longiorem redit ad Altare, et accipit Crucem, et primus Clericus accipit Missale.

3 Celebrans accedit ad angulum posteriorem cornu Epistolæ, facie versa ad populum, et Clericus sustinebit Missale ante illum.

4 Celebrans manu dextera detegit summitatem Crucis usque ad transversum illius exclusive, et Crucem ambabus manibus aliquantulum elevans, gravi voce legit (vel cantat) Ecce lignum Crucis: et cum Clericis eadem voce (aut in cantu) prosequitur In quo salus mundi pepéndit. Et genuflectentibus omnibus, præter Celebrantem, Clerici subjungunt Veníte, adorémus (quod concinunt Cantores, si habeantur), et deinde surgunt.

5 Celebrans, in anteriori parte cornu Epistolæ, di-

scooperiens brachium dexterum Crucis, et caput Crucifixi, et magis elevans Crucem et vocem, secundo dicit Ecce lignum Crucis.

6 Clerici cum eo prosequuntur In quo salus mundi pepéndit, et successive (nisi adsint qui cantent) Veníte, adorémus; et genuflectunt omnes, ut prius.

7 Celebrans tandem, in medio Altaris, totam discooperiens Crucem, ac altius manus et vocem elevans, dicit tertio Ecce lignum Crucis.

8 Clerici tertio cum eo prosequuntur, iidemque (vel Cantores) respondent, et genuflectunt omnes, ut supra.

9 Tertius Clericus, si adsit consuetudo, ponit lancem a latere sinistro pulvinaris, et primus reponit Missale super legile, et discooperitur Crux processionalis, et aliæ omnes per Ecclesiam.

10 Celebrans, descendens per latus Evangelii, portat devote Crucem ambabus manibus elevatam ad locum præparatum.

11 Ibi genuflexus collocat Crucem super velum pulvino superpositum, et, si opus fuerit, firmat eam chordulis.

12 Surgit, et facta genuflexione, vadit per dexteram suam ad planum cornu Epistolæ, ibique manipulum dimittit, et sedens in scabello, deponit calceamenta, Clericis adjuvantibus.

13 Celebrans excalceatus procedit ad adorationem Crucis, quam primo, secundo et tertio, cum debita distantia, utroque genu adorat, et post tertiam adorationem, quin assurgat, offert pecuniam, si adsit consuetudo, et osculatur Crucem.

14 Surgit, et facta genuflexione Cruci, redit ad scabellum in plano Epistolæ, ubi calceamenta et manipulum resumit, ac manet sedens, capite cooperto.

15 Clerici, si velint, deponunt et ipsi calceamenta, et post Celebrantem, ante omnes alios de populo, adora-

bunt Crucem, eodem modo, quo Celebrans, et reversi ad sua loca, calceamenta resumunt.

16 Post Clericos adorabunt sodales cum saccis, si adsint, deinde viri, ultimo mulieres: omnes bini, devote ac graviter.

17 Interim primus Clericus assistet adorantibus, et secundus et tertius Clericus accedunt ad Celebrantem, et alta et clara voce recitant cum eo Improperia, et alia, quæ sequuntur, omnia vel partem eorum, prout multitudo vel paucitas adorantium requirit (hæc tamen recitabunt submissa voce, si adsint qui cantent; et Cantores incipient ea accedente Celebrante ad adorationem).

Prima Pars

Cel. ℣. Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.

℣. Quia edúxi te de terra Ægýpti: parásti Crucem Salvatóri tuo.

2. Cler. ℟. Agios o Theós.
3. Cler. Sanctus Deus.
2. Cler. Agios íschyros.
3. Cler. Sanctus fortis.
2. Cler. Agios athánatos, eléison imas.
3. Cler. Sanctus immortális, miserére nobis.

Cel. ℣. Quia edúxi te per desértum quadragínta annis, et manna cibávi te, et introdúxi te in terram satis bonam: parásti Crucem Salvatóri tuo.

2. Cler. ℟. Agios o Theós.
3. Cler. Sanctus Deus.
2. Cler. Agios íschyros.

3. Cler.		Sanctus fortis.
2. Cler.		Agios athánatos, eléison imas.
3. Cler.		Sanctus immortális, miserére nobis.
Cel.	℣.	Quid ultra débui fácere tibi, et non feci? Ego quidem plantávi te víneam meam speciosíssimam: et tu facta es mihi nimis amára; acéto namque sitim meam potásti, et láncea perforásti latus Salvatóri tuo.
2. Cler.	℟.	Agios o Theós.
3. Cler.		Sanctus Deus.
2. Cler.		Agios íschyros.
3. Cler.		Sanctus fortis.
2. Cler.		Agios athánatos, eléison imas.
3. Cler.		Sanctus immortális, miserére nobis.

Secunda Pars

Cel.	℣.	Ego propter te flagellávi Ægýptum cum primogénitis suis: et tu me flagellátum tradidísti.
2. et 3. Cler.	℟.	Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.
Cel.	℣.	Ego edúxi te de Ægýpto, demérso Pharaóne in Mare Rubrum: et tu me tradidísti princípibus sacerdótum.
2. et 3. Cler.	℟.	Pópule meus, quid feci tibi? aut in quo contristávi te? respónde mihi.
Cel.	℣.	Ego ante te apérui mare: et tu aperuísti láncea latus meum.

2. et 3. ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in
Cler. quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego ante te præívi in colúmna nubis: et tu me duxísti ad prætórium Piláti.

2. et 3. ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in
Cler. quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego te pavi manna per desértum: et tu me cecidísti álapis et flagéllis.

2. et 3. ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in
Cler. quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego te potávi aqua salútis de petra: et tu me potásti felle, et acéto.

2. et 3. ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in
Cler. quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego propter te Chananæórum reges percússi: et tu percussísti arúndine caput meum.

2. et 3. ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in
Cler. quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego dedi tibi sceptrum regále: et tu dedísti cápiti meo spíneam corónam.

2. et 3. ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in
Cler. quo contristávi te? respónde mihi.

Cel. ℣. Ego te exaltávi magna virtúte: et tu me suspendísti in patíbulo Crucis.

2. et 3. ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut in
Cler. quo contristávi te? respónde mihi.

Tertia Pars

Cel. ℣. Crucem tuam adorámus, Dómine: et sanctam resurrectiónem tuam laudámus et glorificámus: ecce enim propter lignum venit gáudium in univérso mundo.

Ps. 66, 2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis:

2. et 3. ℟. Cler. Illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Cel. ℣. Crucem tuam adorámus, Dómine: et sanctam resurrectiónem tuam laudámus et glorificámus: ecce enim propter lignum venit gáudium in univérso mundo.

2. et 3. ℟. Cler. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine. * Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

Cel. ℣. Pange lingua, gloriósi láuream certáminis, et super Crucis trophæo dic triúmphum nóbilem: quáliter Redémptor orbis immolátus víncerit.

2. et 3. ℟. Cler. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine.

Cel. ℣. De paréntis protopslásti fraude Factor cóndolens, quando pomi no-

xiális in necem morsu ruit: ipse lignum tunc notávit, damna ligni ut sólveret.

2. et 3. ℟. Cler. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

Cel. ℣. Hoc opus nostræ salútis ordo depopóscerat: multifórmis proditóris ars ut artem fálleret: et medélam ferret inde, hostis unde læserat.

2. et 3. ℟. Cler. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine.

Cel. ℣. Quando venit ergo sacri plenitúdo témporis, missus est ab arce Patris Natus, orbis Cónditor: atque ventre virginali carne amíctus pródiit.

2. et 3. ℟. Cler. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

Cel. ℣. Vagit Infans inter arcta cónditus præsépia: membra pannis involúta Virgo Mater álligat: et Dei *manus* pedésque stricta cingit fáscia.

2. et 3. ℟. Cler. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine.

Cel. ℣. Lustra sex qui jam perégit, tempus implens córporis, sponte líbera Redémptor passióni déditus, Agnus in Crucis levátur immolándus stípite.

2. et 3. Cler. ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

Cel. ℣. Felle potus ecce languet: spina, clavi, láncea mite corpus perforárunt, unda manat et cruor: terra, pontus, astra, mundus, quo lavántur flúmine!

2. et 3. Cler. ℟. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine.

Cel. ℣. Flecte ramos, arbor alta, tensa laxa víscera, et rigor lentéscat ille, quem dedit natívitas: et supérni membra Regis tende miti stípite.

2. et 3. Cler. ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

Cel. ℣. Sola digna tu fuísti ferre mundi víctimam: atque portum præparáre arca mundo náufrago: quam sacer cruor perúnxit, fusus Agni córpore.

2. et 3. Cler. ℟. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine.

Cel. ℣. Sempitérna sit beátæ Trinitáti glória: æqua Patri Filióque; par decus Paráclito: Uníus Triníque nomen laudet univérsitas. Amen.

2. et 3. Cler. ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

18 Circa finem adorationis, primus Clericus accendit cereos altaris, et tertius amovet pulvinum vel legile cum Missali ab Altari.

19 Deinde secundus et tertius Clericus accedunt per planum ad Altare: alter ad cornu Evangelii, alter ad Epistolæ, et explicant tobaleam Altaris.

20 Successive secundus Clericus portat ad Altare bursam cum Corporali incluso, et super eam Purificatorium: deponit Purificatorium super Altari, extrahit et explicat Corporale, et prope illud in parte Epistolæ ponit Purificatorium; portat insuper ad Altare vasculum cum Purificatorio, illud prope Corporale in remotiori parte deponens.

21 Tertius Clericus collocat Missale cum pulvino vel legili super Altare in cornu Evangelii, apertum et inversum, ut fieri solet in Missa.

22 Completa adoratione, Celebrans reportabit Crucem ad Altare cum debitis genuflexionibus.

23 Secundus et tertius Clericus amovent tapete, pulvinar, velum (et lancem), et primus in sacristia apponit ignem in thuribulo, quod cum navicula affert ad Sacellum Sepulcri.

24 Celebrans apud abacum in plano Epistolæ resumit planetam, et, aperto capite, accedit ante Altare.

§ III - De Processione ad Sacellum, et regressu ad Altare cum Ssmo Sacramento

1 Celebrans genuflectit unico genu in plano ante Crucem, et cooperto capite incedit ut infra.

2 Dirigitur Processio ad Sacellum, ubi asservatur Ssmum Sacramentum, hoc ordine:

Vexillum processionale.
Sodales, sive pii viri.
Crux processionalis, delata a tertio Clerico.
(Cantores, si adsint).

Clerici de Choro, si qui aderunt.

Celebrans, qui in conspectu Ssmi Sacramenti biretum deponit, habens ante se a sinistris secundum Clericum.

3 Ad Sacellum: Vexillum et Crux sistent e regione Altaris; procedentes se disponunt hinc inde in duas lineas (laici extra cancellos: juniores prope Vexillum, seniores propinquiores erunt Altari).

4 Celebrans, facta genuflexione, utroque genu, in plano Sacelli ante Altare, genuflectit in primo gradu, et orat parumper cum omnibus.

5 Surgit, ascendit suppedaneum, aperit capsulam, genuflectit, descendit in planum, et stans imponit incensum in thuribulo, sine benedictione et sine assistentis osculis: accenduntur cerei pro Processione, et disponitur baldachinum, sive umbella.

6 Celebrans, genuflexus in infimo gradu, incensat Sacramentum in capsula: surgit, ascendit suppedaneum, et facta genuflexione, extrahit e capsula Calicem, et ponit super Altare.

7 Genuflectit (claudit capsulam, si in ea remanet Pyxis cum Particulis), et descendit ad primum gradum.

8 Genuflexus in suppedaneo accipit velum humerale, surgit, ascendit rursus, et facta genuflexione, stans accipit, ut heri, Calicem, et secundus Clericus illum velo cooperit.

9 Celebrans vertit renes Altari, et (deficientibus Cantoribus) inchoat alta voce Hymnum Vexílla Regis pródeunt, etc., quem cum secundo Clerico prosequitur, ut infra.

10 Revertitur Processio per viam breviorem ad Altare, ordine sequenti:

Vexillum.
Sodales, sive pii viri, cum cereis accensis.
Crux processionalis.
Clerici chorales cum luminibus.

Thuriferarius, continue thuribulum agitans.

Celebrans sub baldachino vel umbella, habens secundum Clericum ante se a sinistris.

¶ Si Cantores adsint, incedent post Crucem; Celebrans cum Clerico aut submissa voce Hymnum prædictum recitabit, aut Cantoribus consociabitur. Etiam populus laudabiliter se cantui consociabit.

Hymnus

Cel. Vexílla Regis pródeunt:
Fulget Crucis mystérium,
Qua Vita mortem pértulit,
Et morte vitam prótulit.

2. Cler. Quæ, vulneráta lánceæ
Mucróne diro, críminum
Ut nos laváret sórdibus,
Manávit unda et sánguine.

Cel. Impléta sunt, quæ cóncinit
David fidéli cármine,
Dicéndo natiónibus:
Regnávit a ligno Deus.

2. Cler. Arbor decóra et fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.

Cel. Beáta, cujus bráchiis
Prétium pepéndit sæculi,
Statéra facta córporis,
Tulítque prædam tártari.

2\. Cler. O Crux, ave, spes única,
Hoc passiónis témpore
Piis adáuge grátiam,
Reísque dele crímina.

Cel. Te, fons salútis, Trínitas,
Colláudet omnis spíritus:
Quibus Crucis victóriam
Largíris, adde præmium.

2\. Cler. Amen.

11 In Sacello remanent quatuor candelæ accensæ, si ibi erit Pyxis cum Sacramento.

12 Vexillum reponitur extra cancellos; Crux processionalis prope credentiam.

13 Sodales et pii viri remanent extra cancellos: ibique dispositi, cereos usque ad Officii finem accensos tenebunt

14 Baldachinum, sive umbélla, deponitur ante cancellos, et loco congruo collocatur.

15 Celebrans ascendit Altare, et Calicem ponit super Corporale: deinde genuflectit, surgit, et descendit in planum.

16 Genuflexus in infimo gradu deponit velum, et stans imponit incensum in thuribulo sine benedictione et sine assistentis osculis; deinde rursum genuflexus Sacramentum incensat.

§ IV - De reliquo Officio et Ritu hujus Feriæ

1 Celebrans surgens ascendit ad Altare, et genuflectit; deinde solvit et amovet velum a Calice, quod cum ligula accipit secundus Clericus, et ponit Patenam super Corporale et Pallam extra illud.

2 Accepto Calice, deponit ex eo sacram Hostiam super Patenam, et Calicem reponit in locum pristi-

num; deinde ambabus manibus Patenam ipsam accipiens, collocat Hostiam super Corporale, nihil dicens, neque signans, et Patenam ponit ubi alias, sed super Corporale, non subtus. Si necesse fuerit S. Hostiam tangere, purificentur digiti in vasculo parato, et abstergantur apposito Purificatorio.

3 Celebrans, facta genuflexione, accipit Calicem, et accedit versus cornu Epistolæ, et Calicem sinistra tenens, ponit in eo vinum, et aquam sine benedictione, nihil dicens.

4 Calix non abstergitur, sed ponitur in latere Corporalis.

5 Celebrans accedit in medium, et facta genuflexione, reponit Calicem in loco solito, sine signo Crucis, et cooperit Palla.

6 Ibidem stans imponit incensum in thuribulo, absque benedictione et osculis, ut prius, nihil dicens.

7 Celebrans, accepto thuribulo, genuflectit, et incensat Oblata, dicens, ut in Missis sollemnibus, Incénsum istud etc.

8 Incensatis Oblatis, iterum genuflectet, et incensabit Crucem, dicens Dirigátur, Dómine, etc., et repetita genuflexione, prosequetur, more solito, incensationem Altaris, semper genuflectens, quoties transit per medium.

9 Incensato Altari, dat thuribulum in manum Thuriferarii, dicens Accéndat in nobis etc., et ipse non incensatur.

10 Celebrans immediate, advertens ne terga vertat Sacramento, descendit e suppedaneo, et aliquantulum extra Altare in cornu Epistolæ, versa facie ad populum, lavat manus, nihil dicens.

11 Redit ad medium Altaris, genuflectit, surgit, et junctis manibus super Altari, mediocriter inclinatus, dicit submissa, sed intelligibili voce In spíritu humilitátis etc.

12 Celebrans osculatur Altare, genuflectit, et versus populum in cornu Evangelii dicit Oráte, fratres, et redit per eamdem viam, non perficiens circulum, et iterum genuflectit.

13 Non respondetur Suscípiat.

14 Celebrans, junctis manibus ante pectus (in tono feriali), dicit Orémus: Præcéptis salutáribus etc., et dum dicit Pater noster etc., extendit manus.

15 Clerici (vel Chorus) respondent Sed líbera nos a malo, et Celebrans Amen, secrete: et adhuc tenens manus extensas subjungit in priori tono Líbera nos etc., et Clerici (vel Chorus) in fine respondent Amen.

16 Celebrans genuflectit, surgit, discooperit Calicem, supponit Patenam Hostiæ, et tenens manu sinistra Patenam super Altare, elevat dextera Hostiam, ut ab omnibus videri possit.

17 Celebrans declinat Hostiam immediate super Calicem jam discoopertum, Patenam deponit, ut prius, et statim dividit Hostiam in tres partes, more solito, nihil dicens, quarum ultimam immittit in Calicem, pariter nihil dicens, nec signans.

18 Cooperto Calice, genuflectit, et postmodum surgens, manibus junctis super Altari, et inclinatus, dicit secreto Percéptio Córporis etc., omissis duabus aliis Orationibus.

19 Celebrans iterum genuflectit, deinde, accepta Patena cum Hostia, ut alias, dicit secreto Panem cæléstem etc., deinde, more solito, ter Dómine, non sum dignus etc., percutiens pectus.

20 Hostia se signat, dicendo de more Corpus Dómini nostri etc., et se communicat.

21 Facta brevi meditatione, discooperit Calicem, et genuflectit.

22 Surgit, et collectis de more fragmentis, et in Calicem immissis, Patenam super Corporali relinquit,

accipit Calicem, nihil dicens, nec se signans, et sumit reverenter ex eo particulam Hostiæ cum vino.

23 Celebrans, omissa consueta Calicis purificatione, more solito, abluit digitos super Calicem cum vino et aqua.

24 Surgunt interim omnes, et cereos quos gestant exstinguunt.

25 Celebrans, sumpta in medio ablutione, Calicem tergit, ac de more componit, cooperiens velo parvo nigro, quod primus Clericus attulerit, vel Calicem abstersum relinquit eidem Clerico componendum; et inclinatus, manibus junctis ante pectus, dicit secrete Quod ore sumpsimus etc.

26 Primus Clericus Calicem defert ad credentiam.

27 Celebrans, descendens in planum Altaris, et facta cum Clericis genuflexione Cruci, revertitur cooperto capite in sacristiam.

28 Ibi deponit paramenta sacra, et si Pyxis recondita fuerit in Sacello Sepulcri, supra superpelliceum accipit stolam albi coloris.

§ V - De Pyxidis repositione

1 Celebrans, repositurus Pyxidem in aliqua Cappella remotiori Ecclesiæ (supponitur enim, uti dictum est die præcedenti, cap. II, § III, n. 4, non esse locum aptum extra eam; secus huc asportata esset eodem die), præcedente primo Clerico cum velo humerali et bursa Corporalium, et duobus aliis cum cereis, vadit ad Sacellum Sepulcri.

2 Facta genuflexione in plano, genuflectit in primo gradu inferiori, et orat parumper.

3 Surgit, ascendit Altare, aperit capsulam, genuflectit, accipit Pyxidem, et eam collocat super Corporale, et iterum genuflectit.

4 Descendens, genua flectit in suppedaneo, et accipit velum pro humeris a primo Clerico, qui statim sumit umbellam, super Sacramentum deferendam, nisi alius eam gestet.

5 Ascendit Altare, genuflectit, et manu sinistra velata accipit Pyxidem, quam cooperit manu dextera item velata, et præcedentibus Clericis cum cereis accensis, reportat Pyxidem, servandam in tabernaculo posito super Altare prædictæ Cappellæ.

6 Debitis adhibitis cæremoniis, ut die præcedenti, cap. II, § III, Pyxidem servat: ante quam lampas continuo ardeat.

7 Reposita Pyxide, omnes genuflectunt, et recedunt: Celebrans gratiarum actiones peragit pro Communione.

8 Tandem exstinguuntur cerei Altaris, et omnia ad sua loca reportantur.

9 Si autem neque adsit alia Cappella remotior, tunc Pyxis remaneat in loco, ubi Calix repositus erat, et ibi lampas ardens jugiter adsit.



TITULUS VI
DE SABBATO SANCTO

CAPUT I
DE PRÆPARANDIS PRO OMNIBUS FUNCTIONIBUS HAC DIE PERSOLVENDIS

Extra portam principalem

Mensa cooperta mantili albo, et super eam:

2 Patera argentea cum quinque globulis incensi.

3 Thuribulum et navicula cum thure.

4 Vas Aquæ benedictæ cum aspersorio.

5 Manipulus, stola et dalmatica albi coloris.

6 Laterna cum candela exstincta, si moris est, vel sola candela.

7 Ramentum sulphuratum, vel quidquid aptum sit ad suscitandam flammam ex igne.

8 In loco opportuno: legile majus cum Missali, si velit adhiberi.

9 Tripes cum foculo, in quo carbones accendendi, pro novo igne.

10 Forcipes ferreæ.

11 Arundo ornata cum tribus candelis in summitate.

12 Crotalum ad populum convocandum.

In Altari majori

1 Crux et candelabra festiva.

2 Duplex pro eo pallium, album et violaceum, adhibendum ut tit. I, cap. I, n. 1.

3 Missale in cornu Epistolæ, apertum super pulvino, violacei coloris, vel legili.

4 Pes ligneus, vel basis marmorea, in latere Evangelii pro firmanda Arundine.

5 Legile majus, pulchre ornatum, pro Præconio, in plano, a latere Evangelii, nisi adhibeatur pulpitum seu ambo.

6 Cereus benedicendus, aptatus in candelabro magno a latere Evangelii, cum ellychnio concinnato ad prompte flammam recipiendam, cum quinque foraminibus in modum Crucis ad populum conversis.

7 Prope candelabrum scabellum gradatum pro Celebrante.

8 Aliud scabellum simplex, item pro Celebrante, in cornu Epistolæ.

9 Lampades compositæ.

10 Loco recondito, vasa florum postea adhibenda, si iis uti consueverit.

In abaco, seu credentia

1 Missale, vel alius liber, pro Præconio.

2 Pulvinus albi coloris pro Missali, nisi adhibeatur legile.

3 Calix cum ornamentis coloris albi, coopertus alio velo coloris violacei.

4 Pelvicula cum urceolis vini et aquæ, et manutergium.

5 Tintinnabulum.

6 Manipulus, stola et planeta coloris violacei, ac seorsim *manipulus*, stola et planeta albi coloris pro Celebrante, si hic post Præconium, et respective ad Litanias, non sit in sacristiam reversurus.

In sacristia

1 Quatuor superpellicea pro Clericis.

2 Superpelliceum, amictus, alba, cingulum, stola et pluviale coloris violacei, ac seorsim manipulus, stola et planeta violacea pro Celebrante, nisi præparata fuerint in abaco.

3 Manipulus, stola et planeta coloris albi, item pro Celebrante, nisi præparata fuerint ad abacum.

4 Velum albi coloris pro humeris.

5 Cerei pro asportatione Pyxidis.

In baptisterio, si adsit

1 Legile majus, si velit adhiberi ad sustinendum Missale.

2 Mensa cooperta albo mantili pro abaco, et super eam:

3 Manutergia duo in lance.

4 Vas pro Aqua benedicta et aspersorium.

5 Vasa ad extrahendam Aquam e Fonte.

6 Ampullæ Oleorum Chrismatis et Catechumenorum.

7 Vasa ad lavandas manus cum mica panis.

8 Bombacium ad manus inunctas tergendas.

Insuper, si ministrandus sit Baptismus

9 Rituale Romanum.

10 Pelvicula cum sale.

11 Vasa Oleorum Catechumenorum et Chrismatis cum bombacio.

12 Stola et pluviale albi coloris.

13 Cochlear argenteum, si Baptismus per infusionem conferatur.

14 Linteolus ad abstergendum caput infantis.

15 Alius linteus, adhibendus loco vestis candidæ.

16 Cereus accendendus.

CAPUT II

DE SACRIS RITIBUS SABBATO SANCTO PERAGENDIS

§ I - De principio Officii usque ad benedictionem Cerei

Extra Ecclesiam excutitur novus ignis e silice, et accenduntur carbones in foculo.

2 Hora competenti, quatuor Clerici accipiunt superpellicea in sacristia, et disponunt omnia suis locis.

3 Dato signo cum crotalo, Celebrans, lotis manibus, accipit supra superpelliceum (si commode fieri possit) amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale coloris violacei.

4 Proceditur, factis debitis reverentiis, ad portam principalem, hoc ordine:

Primus Clericus manibus junctis.

Tertius Clericus cum Cruce processionali.

Celebrans, tecto capite, junctis manibus, inter Clericos secundum et quartum.

5 Extra portam cum venerint, Clericus cum Cruce sistit in limine ipsius portæ: renes eidem vertens, facie Crucifixi versa ad Celebrantem.

6 Celebrans sistit ante legile (si adhibeatur) collocatum inter ipsum et Crucem, dimisso bireto.

7 Ibidem stans, et ex Missali super legile posito, vel a Clerico sustento, legens, benedicit ignem tribus Orationibus; deinde unica Oratione grana incensi.

8 Dum Celebrans benedicit incensum, primus Clericus accipit forcipe novum ignem benedictum, et ponit in thuribulo.

9 Celebrans imponit cum benedictione, et osculis ex parte Clerici assistentis, incensum in thuribulo, deinde aspergit ignem et grana, dicens Ant. Aspérges me, etc., et eadem thurificat.

10 Thuriferarius recipit thuribulum.

11 Celebrans, deposito pluviali ac stola coloris violacei, accipit manipulum, stolam in humero sinistro, more Diaconorum, et dalmaticam albi coloris.

12 Interim secundus Clericus, ope ramenti sulphurati, vel alius apti instrumenti, accendit de novo igne candelam (reconditam in laterna), et quartus accipit pateram cum granis incensi.

13 Celebrans iterum ponit incensum in thuribulo, cum benedictione et osculis ut supra, n. 9, et postea accipit Arundinem.

14 Proceditur ad benedictionem Cerei, ordine sequenti:

Clericus cum granis incensi a dexteris, et Thuriferarius a sinistris, thuribulum moderate agitans.

Tertius Clericus cum Cruce.

Celebrans cum Arundine, et secundus Clericus cum candela (laterna) a sinistris ejus.

15 Clerici cum granis, thuribulo et Cruce ingre-

diuntur Ecclesiam, et sistunt, quando Celebrans ingressus fuerit januam ejus.

16 Celebrans, ingressus Ecclesiam, inclinat Arundinem, et accensa ex candela (laterna) una ex tribus candelis per secundum Clericum, genuflectit, genuflectentibus omnibus, excepto, de more, tantum Clerico portante Crucem.

17 Celebrans, genuflexus, clara voce dicit (vel cantat) Lumen Christi; tum surgit, surgentibus omnibus, et Clerici (vel Chorus) respondent Deo grátias.

18 Proceditur usque ad medium Ecclesiæ, ubi secundo fiunt omnia, ut supra, accensa secunda candela; præter modulationem vocis, quæ altior esse debet.

19 Proceditur tandem ante gradus Altaris, et accensa tertia candela, tertio fiunt antedicta cum voce adhuc altiori.

§ II - De benedictione Cerei

1 Responso pro tertia vice Deo grátias post Lumen Christi, surgunt omnes, et Clerici formant rectam lineam, cum Celebrante in medio ante Altare: tertius Clericus cum Cruce a sinistris, primus cum thuribulo a sinistris tertii, quartus cum granis a dextris Celebrantis, aliquantulum distans.

2 Secundus Clericus secedens deponit candelam exstinctam (cum laterna) super credentiam, et accipit Missale pro Præconio, et tradit illud Celebranti, qui vicissim dat illi Arundinem, ille autem manet a dextris.

3 Celebrans, tenens Missale suis manibus, genuflectit in infimo gradu Altaris, et, non præmisso Munda cor meum, dicit tantum Jube, Dómine, benedícere. Dóminus sit in corde meo et in lábiis meis, ut digne et competénter annúntiem suum Paschále Præcónium. Amen.

4 Deinde surgens, ac facta cum omnibus (excepto, uti semper, Crucifero) genuflexione Altari, accedit ad legile paratum in plano Evangelii pro Præconio, hoc ordine:

Thuriferarius, habens a dexteris quartum Clericum cum granis incensi.

Tertius Clericus cum Cruce, habens a sinistris secundum Clericum cum Arundine.

Celebrans cum Missali.

5 Cum pervenerint ad legile, supradicti sic apud illud se disponunt recta linea, et vertentes faciem sicut Celebrans:

Celebrans, ante legile, qui ponit Missale super eo.

Clericus cum Cruce a dextris Celebrantis, facie Crucifixi ad Celebrantem versa.

Thuriferarius a dextris supradicti Clerici.

Clericus cum Arundine a sinistris Celebrantis.

Clericus cum granis a sinistris Clerici sustinentis Arundinem.

6 Celebrans, accedente Thuriferario, incensat Missale apertum super legile et incipit Præconium Exsúltet etc., clara voce (vel cantans).

7 Ad verba curvat impéria, ascendens scabellum gradatum, infigit grana incensi in Cereo, hoc ordine:

1

4 2 5

3

8 Quartus Clericus deponit in credentia pateram, ubi erant grana incensi, et accipit virgam cum candelula vel gossipio cerato superinflexo, et redit ad pristinum locum a sinistris Clerici cum Arundine.

9 Ad verba *rútilans* ignis *accéndit*, Celebrans ex Arundine, ope virgæ prædictæ, Cereum accendit.

10 Ad verba apis mater edúxit, quiescit, donec quartus Clericus ex Cereo, per virgam quam gestat, lampadem vel lampades accendat; Clericus deinde virgam seponit.

11 Finito Præconio, Celebrans claudit Missale; secundus Clericus firmat Arundinem in sua basi a latere Evangelii; tertius deponit Crucem in latere Epistolæ.

12 Deinde Celebrans se confert ad abacum vel, si sacristia proxima est, præcedentibus Thuriferario cum Clerico de granis a sinistris, ac secundo et tertio Clerico, facta genuflexione Altari, revertitur in sacristiam.

13 Ibi, depositis paramentis albis, accipit manipulum, stolam et planetam coloris violacei.

§ III - De Prophetiis

1 Celebrans, paratus ut supra, præcedentibus Clericis, procedit ad Altare.

2 Facta reverentia Cruci, ascendit ad Altare, osculatur illud in medio, et accedit ad cornu Epistolæ.

3 Ibi alta voce legit duodecim Prophetias, Orationes et Tractus (nisi, in functione cum cantu, Prophetiæ per Clericos, Orationes per Celebrantem et Tractus per Cantores decantentur; quo in casu, Prophetias et Tractus Celebrans legit submissa voce); genuflectens cum omnibus, dum ante Orationes, excepta ultima, dicit Flectámus génua, et Clericus surgens respondet Leváte.

4 Completa ultima Oratione, Celebrans descendit ad abacum in plano Epistolæ, et deponit planetam et manipulum.

5 Si Ecclesia habuerit Fontem baptismalem, Celebrans accipit pluviale violaceum, et sedet. Si autem Fontem non habet, accedit sine planeta et manipulo ante Altare pro Litaniis, ut infra, § VI, dum Clerici

ponunt scabellum cum Missali (vel pulvinum tantum, si adsunt Cantores) super gradum secundum, in medio.

§ IV - De benedictione Fontis

1 Sedente Celebrante, ut supra, primus Clericus amovet Cereum accensum a Candelabro, et accedit ante Altare.

2 Tertius Clericus accipit Crucem, et similiter venit ante Altare.

3 Duo alii Clerici accedunt ad Celebrantem, quarto sustinente Missale.

4 Celebrans, detecto capite, surgens incipit alta voce (nisi adsint qui cantent) Tractum Sicut cervus etc., ut infra, quod lente prosequetur cum suis Clericis.

5 Inchoato Tractu, dirigitur Processio ad Fontem, facta reverentia Altari, hoc ordine:

Clericus cum Cereo.
Clericus cum Cruce.
Celebrans, medius inter alios duos Clericos, recitans (si desint Cantores) tecto capite, Tractum.

Tractus Ps. 41, 2-4

℣. Sicut cervus desíderat ad fontes aquárum: ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum vivum: quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

℣. Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte, dum dícitur mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus?

6 Ante cancellos Fontis sistunt omnes, et Celebrans, facie versa ad Crucem, quam gestat Clericus renibus ad cancellos conversis, expleto Tractu, dicit

Dóminus vobíscum et sequentem Orationem Omnípotens, sempitérne Deus, etc., sustinente librum quarto Clerico, nisi adhibeatur legile.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, réspice propítius ad devotiónem pópuli renascéntis, qui, sicut cervus, aquárum tuárum éxpetit fontem: et concéde propítius; ut fídei ipsíus sitis, baptísmatis mystério, ánimam corpúsque sanctíficet. Per Dóminum.

℟. Amen.

7 Clericus cum Cereo, et alter deferens Crucem, ingrediuntur cancellos baptisterii, si loci capacitas sinat: stabit vero Crucifer semper ante faciem Celebrantis.

8 Celebrans accedit prope Fontem, facie ad Orientem conversa, si ita fieri possit (ob commoditatem enim præstat, ut habeat Fontem a dextris), et dicit secundam Orationem et Præfationem, ut in Missali, tenens semper manus junctas. Ad majorem commoditatem poterit legile majus adhiberi, ad sustinendum Missale.

9 Intra Præfationem, juxta proprios Rubricæ locos, hæc peragit:

Post verba grátiam de Spíritu Sancto, dividit Aquam manu dextera in modum Crucis, et immediate manum tergit.

Post verba non inficiéndo corrúmpat, tangit Aquam manu, et deinde tergit.

Post verba indulgéntiam consequántur, facit tres Cruces supra Fontem, manu dextera.

Post verba super te ferebátur, dividit manu dextera Aquam, et effundit versus quatuor mundi partes, Orientem, Occidentem, Aquilonem et Austrum, hoc modo:

1
3 4
2

ac tergit manum.

Post verba in *nómine* Patris etc., mutat vocem in demissiorem.

Post verba tu benignus aspíra, halat ter in Aquam in modum Crucis.

Post verba purificándis méntibus efficáces, immittit aliquantulum Cereum in Aquam, dicens Descéndat in hanc plenitúdinem etc., et extrahit. Immittit secundo profundius, et tono aliquanto altiori repetit Descéndat in hanc etc., et pariter extrahit. Immittit tertio usque ad fundum, et altiori adhuc voce repetit Descéndat etc., et non extrahit.

Ter sufflat immediate in Aquam in formam tridentalem seu græcæ litteræ Ψ, juxta figuram positam in Missali, et prosequitur Totámque hujus Aquæ etc.

Post verba fœcúndet effectu, extrahit Cereum, qui panno abstergitur.

10 Prosequitur Præfationem, quam concludit humiliori voce, dicendo Per Dóminum nostrum etc., et adstantes respondent Amen.

11 Secundus Clericus accipit vas pro Aqua benedicta, et immittit in illud de Aqua ista, quam, ope alius vasis parati, haurit ex Fonte.

12 Celebrans, accepto aspersorio intincto in prædicto vase, aspergit se et *circumstantes*; deinde, medius inter Clericos, aspergit omnes per Ecclesiam de dicta Aqua, et revertitur ad Fontem.

13 Extrahitur Aqua benedicta pro Fontibus lustralibus, Benedictionibus domorum et esculentorum, ac aspersione in crastinum.

14 Celebrans, accedens ad Fontem, infundit in Aquam Oleum Catechumenorum in modum Crucis, dicens Sanctificétur etc.

15 Deinde similiter Chrisma, dicens Infúsio Chrismatis etc.

16 Tandem infundit simul utrumque Oleum, pariter in modum Crucis, dicens Commíxtio Chrísmatis etc.

17 Miscet manu sua Olea infusa cum Aqua, et spargit per omnem Fontem.

18 Abstergit manum bombacio: deinde lavat manus cum aqua et mica panis.

§ V - De Baptismo parvulorum

Si qui sint parvuli baptizandi, ad iisdem Baptismum sollemniter administrándum, Celebrans, expleta, ut supra, Fontis benedictione, ordine, ut infra, procedat:

1 In fine benedictionis Fontis disponuntur baptizandi cum eorum patrinis extra limen Ecclesiæ.

2 Celebrans, lotis manibus, præcedente Clerico cum Cruce, et remanente apud Fontem alio Clerico cum Cereo, accedit cum aliis duobus Clericis ad limen Ecclesiæ.

3 Ibi Celebrans procedit, ut in Rituali, ad catechismum etc., usque ad introductionem infantis in Ecclesiam.

4 Tunc Celebrans imponit super infantem extremam partem stolæ, pendentem a suo humero sinistro, et introducit eum in Ecclesiam, dicens N., ingrédere in templum Dei etc.

5 Deinde, dicto Credo et Pater noster, versis renibus ostio cancellorum baptisterii, dicat Exorcismum; tangat, cum pollice dextræ manus, saliva aures et nares infantis; eumdemque Oleo Catechumenorum ungat in pectore et inter scapulas.

6 Stans ibidem extra cancellos, Celebrans deponit pluviale et stolam coloris violacei, et sumit stolam et pluviale albi coloris.

7 Præcedente Cruce, ingreditur baptisterium, in quod ingrediuntur patrini cum infantibus.

8 Celebrans ad Fontem interrogat N., credis etc.; N., vis baptizári?

9 Responso a patrinis Volo, Celebrans procedit ad Baptismum, secundum consuetudinem:

vel per immersionem, quo in casu in baptisterio habebitur tantummodo unicus Fons continens Aquam benedictam;

vel per infusionem, pro qua habebitur duplex Fons: alter cum Aqua benedicta, et alter vacuus, qui per foramen excurrere faciat in sacrarium Aquam baptismalem, profluentem e capite infantis baptizati super eumdem Fontem vacuum.

10 Si baptizet per immersionem, Celebrans, accipiens infantem, ac ipse solus eum sustinens, caute caput ejus immergit, et trina mersione baptizat, et semel tantum distincte et attente dicit N., ego te baptízo etc., quin aliquis respondeat Amen, et infantem, completa forma, statim tradit susceptoribus.

11 Si vero per infusionem, tunc, patrino vel matrina vel (si adsint ambo) utroque infantem tenente super altero Fonte vacuo, aut tangente, Celebrans vasculo accipit Aquam baptismalem ex altero Fonte, et de ea ter fundit supra caput infantis in modum Crucis, et simul verba proferens, semel tantum dicat N., ego te baptízo etc., ut supra.

12 Absterso capite infantis, Celebrans, dicens Deus omnipotens etc., sacro Chrismate inungit summitatem capitis (non frontis) baptizati.

13 Deinde, datis veste candida et candela accensa, et dicto N., vade in pace etc., patrinos admonet, et parentes infantis admoneri curat, ut in Rituali.

14 Celebrans lavat manus, et depositis pluviali ac stola albi coloris, resumit stolam et pluviale coloris violacei.

15 Deinde, præcedentibus Clericis cum Cereo et Cruce processionali, Celebrans, Litanias incipiens (quod faciunt duo Cantores, si adsint), subsequitur cum aliis Clericis, et redit ante Altare.

16 Clerici aliique adstantes respondent, et repetunt omnia, quæ Celebrans dicit (vel Cantores concinunt).

17 Cereus figitur proprio candelabro, et Crux deponitur in cornu Epistolæ.

18 Celebrans, stans ante Altare, deponit pluviale tantum.

§ VI - De Litaniis et Missa cum Vesperis

1 Celebrans, genuflexus in infimo gradu, omnibus similiter genuflectentibus, incipit (si Fons deerit, alias prosequitur) Litanias ex Missali, posito super scabello ante seipsum (si tamen adsunt Cantores, his curam relinquit de Litaniis, procumbens super gradus, brachiis super pulvino positis).

2 Ad versum Peccatóres, tollitur pallium violaceum ab Altari, ut præseferat album; mutatur pulvinus sub Missali; accenduntur candelæ; vasa florum, si moris est, inter candelabra apponuntur, et primus Clericus aufert velum violaceum superimpositum Calici, quem ad Altare affert et in medio ejus aptat.

3 Celebrans (in Cantorum defectu) prosequitur Litanias, usque ad Christe, exáudi nos, inclusive (si Can-

tores adsunt, ad ℣. Peccatóres ex Altari recedit, et sacristiam petit, præcedentibus Clericis, ad induenda paramenta coloris albi, reversurus ad Kýrie).

4 Surgit Celebrans, et accedit ad abacum, in plano Epistolæ, ubi, deposita stola violacea, accipit manipulum, stolam et planetam albi coloris.

5 Celebrans, comitantibus Clericis, ut supra, redit ad Altare, ante cujus gradus facit Confessionem de more, cum Ps. Júdica me etc., et Glória Patri (Cantoribus, seu Choro, tunc incipientibus Kýrie).

6 Ascendit Altare, completaque Oratione Aufer a nobis, etc., in ejus medio, dicit immediate Kýrie, eléison, ut alias, cum non legatur Introitus.

7 Ad Glória in excélsis, pulsantur campanæ in turri (si Ecclesia præcipua loci sit, vel primaria jam sonum dederit) et, si moris est, campanulæ intra Ecclesiam, quæ usque ad hanc horam siluerant.

8 Post Epistolam, Celebrans dicit ter (vel cantat) Allelúja, elevando gradatim vocem, et Clerici (aut Cantores, seu Chorus), post quamlibet vicem, in eodem tono repetent illud, et Celebrans prosequetur Versum et Tractum (quos concinunt Cantores, seu Chorus, de more, si cantus adhibeatur).

9 Non dicitur Credo, et post Dóminus vobíscum non legitur Offertorium: non dicitur Agnus Dei, neque datur osculum pacis.

¶ Si qui sunt communicandi, tam pro rebus præparandis, quam pro ritu servando, videantur quæ ad hunc finem dicta sunt Feria V in Cœna Domini, pp. 42.

10 Loco Antiphonæ *Communio* dicuntur Vesperæ, ut in Missali, videlicet:

11 Celebrans in cornu Epistolæ dicit Ant. Allelúja, allelúja, allelúja, et alternatim cum Clericis assistentibus prosequetur Ps. Laudáte etc., et in fine repetitur

ter Allelúja (si cantus adhibetur, Celebrans hæc omnia submissa voce legit, vel alternatim dicit cum Clericis). Inserviens primus Clericus removet Calicem ab Altari et defert ad credentiam.

Psalmus 116, 1-2

Laudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sǽcula sæculórum. Amen.

12 Deinde subdit Ant. Véspere autem etc., cum Cantico Magníficat, alternatim cum Clericis (quam Antiphonam incipit in cantu, si opus fuerit, verba proferens Véspere autem Sábbati, Cantoribus et Choro reliqua prosequentibus, quæ ipse submissa voce dicit).

Canticum beatæ Mariæ Virginis
Luc. 1, 46-55

Magníficat * ánima mea Dóminum:

Et exsultávit spíritus meus * in Deo, salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis: * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël, púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in sǽcula.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sǽcula sæculórum. Amen.

13 Repetita Ant. Véspere etc., Celebrans accedit ad medium Altaris, osculatur illud, et versus ad populum dicit Dóminus vobíscum, et postea Orationem juxta solitum, in cornu Epistolæ.

14 Post Ite, Missa est, addit Allelúja, allelúja, et Clerici (vel Chorus) similiter addunt Allelúja, allelúja ad Deo grátias.

15 Completo Evangelio S. Joannis, revertitur in sacristiam, et sacra paramenta deponit.

§ VII - De reportatione Pyxidis

1 Celebrans accipit supra superpelliceum stolam albam, et præcedentibus Clericis cum cereis, et alio cum bursa Corporalium et velo humerali, accedit ad locum, ubi asservatur Pyxis cum Particulis.

2 Ibi, adhibitis debitis cæremoniis, ut tit. IV, cap. II, § III, accipit velatis manibus Pyxidem, quam portat in solito tabernaculo servandam.

3 Revertitur in sacristiam, in qua, depositis sacris vestibus, complet gratiarum actionem.

4 Interim per Clericos exstinguuntur cerei Altaris.

5 Item tres candelæ in cuspide Arundinis, quæ amplius non accenduntur, et Arundo ipsa amovetur omnino.

6 Item exstinguitur Cereus Paschalis: qui tamen, remanens in suo candelabro, regulariter accendetur in Missis et Vesperis cum cantu (vel Missis lectis, quæ sollemnium locum teneant), tribus sollemnioribus diebus Octavæ Paschatis, Sabbato in Albis, in omnibus Dominicis (et si adsit consuetudo, etiam aliis diebus et sollemnitatibus) Temporis Paschalis, et usque ad Evangelium inclusive diei Ascensionis Domini: quo dicto, Cereus exstinguitur, et completa Missa removetur e candelabro, et servatur accendendus in Vigilia Pentecostes, sed tantum ad benedictionem Fontis.

7 Tandem per Clericos omnia suis locis reponentur.

INDEX

INDEX

TITULUS I

De Benedictione Candelarum in Festo Purificationis B. Mariæ V.

Caput I

De Praeparandis pro Benedictione, Processione et Missa

Caput II

De sacris Ritibus in Festo Purificationis B. M. V. absolvendis

TITULUS II

De Benedictione Cinerum in Capite Jejunii

Caput I

De Praeparandis pro Benedictione et Missa

Caput II

De sacris Ritibus Feria IV Cinerum persolvendis

TITULUS III

De Dominica Palmarum

Caput I

De Praeparandis pro sacris Actionibus huius Dominicae

Caput II

De sacris Ritibus Dominica Palmarum persolvendis

TITULUS IV

De Feria V in Cœna Domini

Caput I

De Praeparandis pro Functionibus
hac Feria persolvendis

Caput II

De sacris Ritibus Feria V
in Coena Domini peragendis

TITULUS V

De Feria VI in Parasceve

Caput I

De Praeparandis pro Officio huius Feriae

Caput II

De sacris Ritibus Feria VI in Parasceve persolvendis

TITULUS VI

De Sabbato sancto

Caput I

De Praeparandis pro omnibus Functionibus hac die persolvendis

CAPUT II

De sacris Ritibus Sabbato sancto peragendis